ADNOTATIONES

AD

L. APULEII METAMORPHOSEON LIBRUM XI.

ADNOTATIONES AD APULEII METAMORPHOSEON LIBRUM XI.

SPECIMEN INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IANI DE LOUTER

ROM. ET HODIERNI IUR. DOCT. IN FAC. IUR. PROF ORD

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE ET LITTERARUM DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI

PROPONET

Hendrik Jan

HENDRICUS JOHANNES BOEKEN

AMSTELAEDAMENSIS

D. VII. M. JULII A. MDCCCXCIX HORA SECUNDA DIMIDIATA P. M.

AMSTELAEDAMI

EX TYP. J. CLAUSEN.

Perfecto hoc opusculo jucundissimo officio defungor, quippe gratias agens Promotori meo, aestumatissimo Van der Vliet, qui mihi viam monstraverit qua studiis meis academicis finem imponerem. Neque otio suo neque labori pepercit quin, ut hunc finem consequerer, me adjuvaret.

N. B.

Capita sine auctoris et sine libri nomine laudata capita sunt Apuleii Metamorphoseon Libri XI.

Paginae, quarum numeri indicantur, sunt paginae Editionis. Teubnerianae, quam recensuit J. v. d. Vliet. Numeruli tertio loco ascripti, lineas singularum paginarum indicant.

Ubicunque Plutarchus nullo libri titulo adjecto laudatur, liber *de Iside et Osiride* significatur.

Ubicunque *Lafaye* laudatur, significatur liber qui inscribitur: »Histoire du Culte des Divinités d'Alexandrie Sérapis, Isis, Harpocrate et Anubis, hors de l'Egypte par Georges Lafaye, Paris 1884.«

PROOEMIUM.

Antiquis Graecorum et Romanorum religionibus ad occasum vergentibus, homines cupidissimi erant novi solatii vitae. Mox philosophia, in primis Stoicorum et Neo-platonicorum, cum Judaeorum vetere doctrina, sublimiore quodam humanitatis amore illustrata, in Christianismo conjuncta, hoc solatium datura erat: ad Apuleium vero haec nova doctrina et Euangelium nondum pervenerat. Unicus apud Apuleium locus est, ubi Christianismi mentionem facere videri possit, nempe Metamorphoseon Lib. IX (cap. XIV pag. 199.1), ubi de pessima muliere haec dicit: »Tunc spretis atque calcatis divinis numinibus, in vicem certae religionis, mentita sacrilega praesumptione dei, *quem praedicaret unicum*, confictis observationibus vacuis fallens

omnes homines et miserum maritum decipiens matutino mero et continuo stupro corpus mancipat.« Sed hoc loco excepto de Christianorum religione apud Apuleium altum silentium.

Ante hanc doctrinam volgatam, pars hominum philosophia sitim novae veritatis explere conabantur; pars cultum deorum extrinsecus advectorum amplectebantur, qui melius quam Graecorum et Romanorum veteres doctrinae novis hominum desideriis satisfacere viderentur. Plutarchus utramque rationem conjunxit; persuasum enim sibi habebat in antiquis religionibus easdem veritates latere, quas et philosophia docet; isque verus ei deorum cultor videbatur, qui ea quae in mysteriis de diis monstrantur et fiunt, cogitationibus perscrutatus sit et meditatus sit veritatem, quae in iis rebus lateat. 1)

Quanta vero spe quantaque laetitia homines cultum deorum extrinsecus advectorum amplecterentur, in primis quidem deorum Alexandrinorum, Undecimus Metamorphoseon liber Apuleii testatur.

Primaria autem causa (uti etiam in Adnotatione de Anubide exponam) huius laetitiae atque huius

---

1) Cap. III ἀλλὰ Ἰσιακός ἐστιν ὡς ἀληθῶς ὁ τὰ δεικνύμενα καὶ δρώμενα περὶ τοὺς θεοὺς τούτους, ὅταν νόμῳ παραλάβῃ, λόγῳ ζητῶν, καὶ φιλοσοφῶν περὶ τῆς ἐν αὐτοῖς ἀληθείας.

spei erat quod bono animo esse mortales jubebat Aegyptiaca doctrina de vita post mortem continuanda. Haec autem de immortalitate animi doctrina, quamvis postea aucta atque exornata sit, jam vetere illa de Iside et Osiride fabula, quam Plutarchus ample enarrat 1), continetur.

Fabula autem, quae maxime huc pertinet, de Osiridis morte et inventione haec est. 2)

Isidi, Osiridique frater Typhon est, qui ab Aegyptiis Seth dicitur et qui fervidum et pulverulentum ventum, flantem ex deserto, significat. 3) Hic semper Osiridi insidiatur at, quamvis acerrime saeviens, nihil contra vigentem Osiridem proficit (licet enim ventus ille aestate acerrime flet, nihilominus aestate Nilus abundat et extra ripas vagatur). Eo tempore vero cum Osiris omnes terras oberret et Bacchi instar gentes erudiat, bonas pacis artes eos docendo, tum Typhon dolum ei struit. Con-

---

1) Cap, XII—XIX.

2) Cap. XIII—XVII.

3) Plut. cap. XXXIX. Ἡ δὲ Τυφῶνος ἐπιβουλὴ καὶ τυραννὶς αὐχμοῦ δυναμὶς ἦν ἐπικρατήσαντος καὶ διαφορήσαντος τήν τε γεννῶσαν ὑγρότητα τὸν Νεῖλον καὶ αὔξουσαν· ἡ δὲ σονεργὸς αὐτοῦ βασιλὶς Αἰθιόπων αἰνίττεται πνοάς νοτίους ἐξ Αἰθιοπίας· ὅταν γάρ αὗται τῶν ἐτησίων ἐπικρατήσωσι, τὰ νέφη πρὸς τὴν Αἰθιοπίαν ἐλαυνόντων, καὶ κωλύσωσι τοὺς τὸν Νεῖλον αὔξοντας ὄμβρους καταρραγῆναι, κατέχων ὁ Τυφὼν ἐπιφλέγει, καὶ τότε κρατήσας παντάπασι τὸν Νεῖλον εἰς ἐναντίον ὑπὸ ἀσθενείας συσταλέντα καὶ ῥυέντα, κοῖλον καὶ ταπεινὸν ἐξέωσεν εἰς τὴν θάλασσαν.

spirat cum septuaginta duobus viris (qui totidem dies siccitatis Nili significant) et cum Aso, Aethiopiae regina. Cum his sociis redeuntem Osiridem festas ad epulas invitat, epulantibus jocose arcam monstrat, pulcherrimum et daedale perfectum opus, quam arcam examussim Osiridis mensurae convenientem conficiendam curaverat. Tum liberaliter arcam illi ex omnibus, qui aderant, promittit, cui examussim conveniret. Omnes libenter experimento se praebent, nulli convenit. Cum vero Osiris in arcam intrasset, tum Typhon cum amicis orificium sine mora imponit, et sic clausam arcam in Nilum projiciunt. Per Tanaïticum ostium in mare effluxit et marinis undis ad Bybli Phoeniciae oras eicitur. Haec est mors Osiridis quae quotannis septimo die mensis Athur sive ante diem IV. Kal. Dec. 1) celebratur. Tunc Isiaci quaerunt »numquam satis quaesitum Osirin« uti canit Ovidius Metam. IX. 692. Tunc plangunt Osirin, »quem plangentes,« inquit Lucanus (Pharsal. VIII. 833) »testantur esse hominem." Tunc, uti dicit Juvenalis (VI. 533),

Plangentis populi currit derisor Anubis.

Magnus tum sacerdotum, tum cultorum luctus est, quocum Statius matris suae luctum propter

---

1) Plut. XIII ταῦτα δὲ πραχθῆναι ἑβδόμῃ ἐπὶ δέκα μηνὸς Ἀθυρ

maritum interemptum comparat (Silv. Lib. V. III. 241).

»certe sejungere matrem
Jam gelidis nequeo bustis ; te sentit, habetque,
Te videt et tumulos ortuque obituque salutat,
Ut Pharios aliae ficta pietate dolores
Mygdoniosque colunt et non sua funera plorant."

Isis autem, Osiridis morte comperta, omnes terras pervagatur et divino afflatu monita Byblum pervenit. Ibi Osiridis arcam invenit inventamque in Aegyptum rettulit. Noctu tamen Typhon venando Osiridis corpore potitur idque in quatuordecim partes discindit.

Osiris, qui re vera non mortuus erat sed tantum ad inferos migraverat, inde redit; suum ex Iside filium Horum (qui a Graecis etiam Harpocrates dicebatur) ad pugnam contra Typhonem instruit. Horus a multis aliis diis adjutus, qui, ut Typhonem laterent, omniiugum bestiarum formas induerant, Typhonem vicit, quem tamen interficere a matre prohibitus est, quae mundum omni vitio carentem ideoque inertem esse nollet.

Tertio igitur post Osiridis mortem die eiusdem inventio celebratur magna hilaritate et coenis. Vid. Juvenalem VIII. 29.

»Exclamare libet, populus quod clamat, Osiri
Invento."

Sed haec Osiridis inventio et resurrectio non tantum ad Nilum 1) pertinent, neque ad fruges 2) tantum, quae terra conditae et quasi sepultae brevi post surgunt et quodammodo renascuntur: omnem nempe hominem eadem sors expectat, qua Osiris defunctus est. Omnes una manet nox. Sol, qui interdiu caelum permetitur, vespera occidat necesse est; noctem deget apud inferos: mane resurget opera Isidis, sive ex ipsa Iside renascetur. Omni homini moriendum est: nemo non visurus est Tartarum. Ante ipsum Osiridem judicem stabit, vel reus vel ab omni culpa liber.

Hoc igitur maximum discrimen est inter Graecorum Romanorumve deos et deos Aegyptiacos: illi semper mortem et inferos vitabant, ipsam Styga metuebant, mortuis nullam opem ferre poterant; Osiris contra ipse mortem passus est, Isis ei cum mortuus esset, opem tulit; ipse omnia quae et homini subeunda sunt apud inferos perpessus est; deinde tertio die resurrexit. Sic mox Christus dicetur sub hominis specie morti occubuisse, ad inferos descendisse, tertio die resurrexisse.

---

1) Plutarch: XXXIX. ἡ γὰρ λεγομένη κάθειρξις εἰς τὴν σορὸν Ὀσίριδος οὐδὲν ἔοικεν ἀλλ᾽ ἢ κρύψιν ὕδατος καὶ ἀφανισμὸν αἰνίττεσθαι.

2) Plutarch. LXV. καὶ λέγοντες θάπτεσθαι μὲν τὸν Ὄσιριν ὅτε κρύπτεται τῇ γῇ σπειρόμενος ὁ καρπός, αὖθις δ᾽ἀναβιοῦσθαι καὶ ἀναφαίνεσθαι ὅτε βλαστήσεως ἀρχή.

Quam bona spe de vita futura Alexandrinos deos qui colebant essent non minime patet ex hisce inscriptionibus sepulcralibus, in quibus fere semper inest: *εὐψύχ(ε)ι* aut *δοίη σοι τὸ ψυχρὸν ὕδωρ ὁ Ὄσιρις.*

INSCRIPTIONES SEPULCRALES.

C. I. G. 1)

2204. Mytilenis inventa.

Σ]αραπίω[ν ‖ Εἰσιδώρο[υ ‖ Ἀλ]εξανδρεὺς[καὶ
Π]ο[μ]πη[ί]ουπ[ο ‖ λί]της (?) εὐψύχι.
L ιη.

4467. Antiochiae.

Εὐψύχι ‖ Ἀλέξανδρε· ‖ οὐδεὶς ἀθάνατος.

4468. Ibidem.

Εὐψύχι ‖ ποθουμένη.

4825. in Aegypto prope Thebas.

Ταφὴ Πιτεμενώφιος υἱοῦ Παβῶτος.
ἐγεννήθη γL Ἀδριανοῦ τοῦ κυρίου Χοὰκ κδ.
ἐτελεύτα ζL ἐπαγομένων δ
ὥστε ἐβίωσεν ἔτη δ, μῆνας η, ἡμέρας ι.
Εὐψύχει.

6562. Romae.

Θ(εοῖς) κ(αταχθονίοις)
Αὐρηλίᾳ Προσόδῳ Διοσκουρίδης ἀνὴρ
τῇ ἑαυτοῦ συνβίῳ χρηστοτάτῃ
καὶ γλυκυτάτῃ μν(ε)ίας χάριν.

---

1) Hic et ubique litteris C. I. G. indicatur Corpus Inscriptionum Graecarum, quod edidit Augustus Boekh ex auctoritate et impensis Academiae Litterarum Regiae Borussicae. Berol. 1828.

εὐψύχει, κυρία, καὶ δοί[η] σοι
ὁ Ὄσιρις τὸ ψυχρὸν ὕδωρ
ἐποίησε ἑαυτῷ καὶ ἀπελευθέρων ἀπελευθέροις.

6267. Romae inventa.

Θεοῖς καταχθονίοι[ς]
Ἐνθάδ' ἐγὼ κεῖμαι Ὀλυμπιά[ς] ἐ[τῶν] κβ
Ἕλλην μὲν τὸ γένος, πατρὶς δέ μοι ἦτον 1) *Ἀπάμεα*
οὐδένα λυπήσασα
οὐ μεικροῦ ψυχήν, οὐ μεγάλου κραδίην.
στήλην δ' ἣν ἐπύησα κατὰ χθόνα δάκρυσι θερμοῖς
παρθένον ἣν ἔλαβον Σώτας, Ὀλυππιάδι πεπό[η]κα
στοργὴ γάρ μεγάλη τῶν ἀμφοτέρων διέμεινεν,
ὡς ὅπου φῶς τὸ γλυκὺ παρέμειν' ἀκτεῖσι ἐπιλάμπ[ο]ν,
ἡδὺν ἀπὸ στόματος καὶ γλυκὺν ὡς μελίτιν
ταύτην τὴν στήλην ἐπύησα Σώτας σε φιλήσας.
Ψυχῇ διψώσῃ ψυχρὸν ὕδ[ωρ] μετάδ[ο]ς
Ἀδε[λ]φὸς ταῦτ' ἐπέγραψεν.

6256. Romae inventa.

Ψυχρὸν ὕδωρ δοίη σοι ἄναξ ἐνέρων Ἀιδωνεύς
ὦ Μέλαν· ἥβης γάρ σοι ἀπώλετο ἄθος.

6717. Ibidem, ut videtur, inventa.

D(is) M(anibus).
Julia Politice.
Δοίη σοι Ὄσιρις τὸ ψυχρὸν ὕδωρ.

Hoc quoque proprium habebant dii Alexandrini, ut miraculis et somniis cultoribus suis iisque quos ad cultum suum accire vellent, adesse viderentur. Jam ex Ovidii 2) narratione hoc videre possumus,

1) ἦν.
2) Cf. Ovid. Metam. IX. 667—796.

ubi tradit (uti apud nostrum Lucius de asino denuo homo factus est), puellam Isidis ope puerum esse factam. Fabula narratur de Cressa quadam nomine Telethusa, cuuis maritus propter tenuem censum voverat se masculinum tantum partum sublaturum esse, feminam vero si uxor peperisset, quod natum esset se neci esse daturum. Telethusa autem, cum gravida esset neque iam amplius ventris pondus ferendo, Isis visa est ante torum adesse ipsamque hortari ut, quidquid pepererit, tollat: se enim ipsi opem esse laturam. Inachis ibi Isis appellatur; saepe enim eadem habita est quae Iö (sic Juvenalis Sat. VI. 525 »Si candida jusserit Iö), cum ob alias causas, tum etiam propter cornua, quae utrique tribuuntur, et ea etiam causa fuerunt cur Isis falso eadem habita sit quae Luna.

Ecce iam omnis tibi adest Aegypti caterva:

»Cum medio noctis spatio sub imagine somni
Inachis ante torum, pompa comitata suorum
Aut stetit aut visa est. Inerant lunaria fronti
Cornua, cum spicis nitido flaventibus auro,
Et regale decus 1); cum qua latrator Anubis,

---

1) Notandum et hic Isin sub Cereris specie fingi. De regali decore (βασιλεία Inscrip. Rosett. vs. 43) vide quae adnotavi ad Cap. III.

Sanctaque Bubastis 1), variisque coloribus Apis:
Quique premit vocem, digitoque silentia suadet 2)
Sistraque erant, numquamque satis quaesitus Osiris,
Plenaque somniferi serpens peregrina veneni." 3)

Filiam peperit Telethusa; filium esse mentitur. Iphis nomen ei a patre inditur. Gaudet mater quod commune nomen utriusque sexus est. Tandem adulta ab ignaro patre virgo virgini despondetur: ardet in virgine virgo. Desperat Iphis cum intellegat id quod sponsa velit, quod pater velit, quod ipsa velit, abnuere naturam. Differt aliquamdiu Hymenaeum,

»Sed jam consumpserat omnem
Materiam ficti: dilataque tempora taedae
Institerant: unusque dies restabat; at illa (i. e. mater)
Crinalem capiti vittam nataeque sibique
Detrahit: et passis aram complexa capillis:
»Isi, Paraetonium, Mareoticaque arva, Pharonque
Quae colis, et septem digestam in cornua Nilum;
Fer, precor«, inquit: »opem: nostroque medere timori.

1) *Bubastis*, quae in urbe cognomini colitur et ab Herodoto Diana dicitur, Herod II. 59.

2) Hic est Harpocrates sive Horus, qui puerili gestu digitum ori apponat. Fallebantur autem et Graeci et Romani, putantes eum hoc gestu silentium jubere vid. Plut. c. 68. b.

3) De serpente dicam ad cap. XII. I.

Te, dea, te quondam, tuaqua haec insignia vidi:
Cunctaque cognovi; comites, facesque, sonumque
Sistrorum: memorique animo tua jussa notavi.«
— — — — — — — — — — — — —
Visa dea est movisse suas, et moverat aras.
Et templi tremuêre fores, imitataque Lunam
Cornua fulserunt; crepuitque sonabile sistrum."

Quam pollicita erat, opem fert Isis: potiturque sua puer Iphis Ianthe.

Non ab re videtur conferre quae Aelius Aristides de se ipse narrat, ut videamus quam proni tunc temporis homines essent ad narranda et volganda miracula quae crederent sibi contigisse. Simul videbimus et apud Aelium Aristidem et apud Apuleium de somniis valde similia narrari. Nam saepe *apud utrumque idem deorum monitum simul duobus hominibus datur.* 1)

Nempe apud nostrum Isis in somnio Lucio apparet eique imperat ut salutis causa ad sacerdotem, qui pompae praesit, se conferat, sed eodem momento Isis sacerdoti suo per somnium imperat ut Lucio salutem ministret.

Apud Apuleium cap. VI pag 256. 7 et cap. XIII.

---

1) Etiam in narrationibus Plutarchi et Taciti de Sarapidis origine (Plut. XXVIII et Tac. Hist. IV 83 et 84) eadem species in somnio et Ptolemaeo et Ponti regi obvertitur.

261. 15 et cap. XXVIII pag. 272. 15 legimus Asinium Marcellum a diis monitum accipere, cum et Lucius deorum monitu eundem adeat.

Sed Aelium Aristidem audiamus. Series miraculorum, quae sibi contigisse narrat, inde a prima pueritia incipit. Nutricem nempe, quam mortuam jacere videret, Aesculapius resuscitavit. 1)

Ad Aegyptum se contulit, visendi Dei (sc Aesculapii) causa. Ibi etam cognovit Evarestum qui ei dixit *sibi a Deo mandatum esse* ut Aristidem ad dicendum incitaret 2).

Per annos tredecim morbo languebat, quo tandem deorum ope levatus est. Multa miracula cum per morbi spatium tum cum sanaretur, sibi accidisse narrat.

Deus (qui Aristidi semper Aesculapius est) somnio eum, cum Pergami degeret, jussit ovum anseris, quo sanaretur, comedere 3). Mittit igitur

---

1) Aelius Aristides. edidit Dindorff II. 511. 572. κειμένην δέ ποτε ἀνέστησεν.

2) T. I. p. 615.

3) T. I. 499 ᾠὸν δή ποτε χήνειον ἐζητοῦμεν, τοῦ θεοῦ σημήναντος ἐπὶ τῆς ἐν Περγάμῳ καθέδρας. καὶ εὑρίσκετο οὐδαμοῦ τῆς ἀγορᾶς, ἀλλ' ἦν Μειλάτης ἐξ ἀκροπόλεως, παρὰ τοῦτον ἔρχονται τελευτῶντες οἱ πρὸς τῇ ζητήσει, κατὰ δὴ τύχην ἅμα καὶ μήνυσιν. καὶ λέγει πρὸς αὐτοὺς ὁ Μειλάτης ἔχειν ᾠόν, φυλάττειν δὲ ἰάματος ἕνεκα· οὕτω γὰρ αὐτῷ προειρηκέναι τὸν θεόν. οὐκοῦν ἡμεῖς γε ἐκεῖθεν, ἔφασαν οἱ ζητοῦντες, καὶ ὃς προσκυνήσας δίδωσιν.

famulos suos ad forum. Nulla ibi ova anserum comparent. Forte famuli Milaten quendam adeunt, hunc rogant num tale ovum habeat? Hic autem ait se habere quidem sed id servare hominis *sanandi* causa: »*sic deum se monuisse*«. »Igitur« illi inquiunt: »noster dominus est cui servavisti«. Audita re, ille genibus flexis: »Accipio« inquit: »dei jussum« et tradidit ovum.

Alterum huiusce modi miraculum hoc est.

Isis eum jusserat duo anseres sibi immolare. Ipse igitur deae dicto audiens in urbem profectus est (prope Smyrnam degebat) duos autem famulos praemisit ad Isidis aedem, ubi anseres venire solebant. Duo tandem anseres ibi supererant. Hos igitur expetunt. Anserum vero nutritor negavit sibi licere hos vendere; Isidis enim monitu servare se eos Aristidi: certo igitur se credere Aristidem esse venturum et immolaturum. Postquam vero comperit cuius jussu venirent, numen adprecatus anseres tradit. 1)

Narrat porro Aristides »lumen" (φῶς) 2) sibi ab

1) T. I. p. 499.

2) T. I. 500 διέτριβον ἐν τοῖς ὕδασι τοῖς θερμοῖς καὶ ἡ θεὸς κελεύει θῦσαι ἑαυτῇ χῆνας δύο· ἥειν εἰς τὴν πόλιν προπέμψας τοὺς σκεψομένους, καὶ προειπὼν ἀπαντᾶν εἰς τὸ ἱερὸν τῆς Ἴσιδος τοὺς χῆνας ἔχοντας. ἀλλὰ μὲν οὖν χῆνες οὐκ ἦσαν ἐκείνην τὴν ἡμέραν, δύο δ' ἤστην μόνω. προσελθοῦσι δ' αὐτοῖς καὶ ὠνουμένοις ἔφη ὁ τρέφων τοὺς χῆνας ὡς οὐχ οἷός τ' εἴη πωλῆσαι· προειρῆσθαι γὰρ αὐτῷ ὑπὸ τῆς Ἴσιδος

Iside monstratum esse et alia »uoce meliora" 1) (ἀμύθητα) quae eum ducerent ad sanationem. Utrum autem *lumine* illo lumen quod oculis cernimus an »salutem« (ut apud Homerum) significare voluerit Aristides, non satis liquet. Sed videtur Isis illud lumen somnio praebuisse, pergit enim: »Eadem nocte et Serapis mihi visus est adesse, et simul cum eo Aesculapius mirandae pulchritudinis ambo et quodammodo sibi inter sese similes.« Etiam a Tacito Sarapis idem esse dicitur qui Aesculapius (Tac. Hist. IV. 83 de S. »multi Aesculapium quod medeatur aegris corporibus, quidam Osirin ....., plerique Jovem etc.«)

Etiam inscriptiones crebrae testantur homines Isidis monitu dona ei dedicasse. Tum additur »ex visu« sive »Isidis impero« et Graece *κατὰ πρόσταγμα*, ut patet ex hisce inscriptionibus.

C. I. L. VI 346. | Ti. Claudio. Caisare. | Aug. Germanico V. | Ser. Cornelio. Orfito. Cos. | Isidi.

φυλάττειν Ἀριστείδῃ· πάντως δ' ἥξειν καὶ θύσειν. ὡς δ' ἔγνω τὸ πὰν ἐξεπλάγη τε καὶ προσκυνήσας δίδωσι· καὶ ταῦτα ἐπ' αὐτῆς τῆς θυσίας ἔγνων ἐγώ.

ἐγένεπο δὲ καὶ φῶς παρὰ τῆς Ἴσιδος καὶ ἕτερα ἀμύθητα φέροντα εἰς σωτηρίαν. ἐφάνη δὲ καὶ ὁ Σάραπις τῆς αυτῆς νυκτός, ἅμα αὐτός τε καὶ ὁ Ἀσκλήπιος, θαυμαστοὶ τὸ κάλλος καὶ τὸ μέγεθος καί τινα τρόπον ἀλλήλοις ἐμφερεῖς·

1) Apuleius cap. 23.

invictae. et Serapi. | M. Aidius. Seruiliai aucol. | Lib. Amerimnus. | Ex Visu.

Ibid. 572 in parva ara marmorea. | Deo. Serapi. M. Vibius. | Onesimus. | Ex Visu.

C. I. G. 2304.

Σαράπιδι, Ἴσιδι, Ἀνούβιδι
Διογένης Φανίου Ἀλαβα(ν) δεὺς
κατὰ πρόσ[ταγ]μα

Ibid. 2305.

Σαράπιδι, Ἴσιδι, Ἀνούβιδι
Θεανὼ Ἀπελλοῦ Ἀλα(β)[ανδετος]
ὑπὲρ ἑαυτῆς καὶ τοῦ ἀνδρ[ὸς καὶ τοῦ]
παιδίου κατὰ πρόστα[γμα] χαριστήρι[ον.

C. I. Lat. V 10. | Isidis Inperio. | A. Lutatius. | Jucundus.

Ibid. 484. | Isidi. | Sacr. | Ex. moniT. | Eius. d. d. | L. Valeriv. | Memor. | VI. vir. aug. | L. D. P.

Sed jam ad ipsas adnotationes accedamus.

ADNOTATIO DE ISIDE

(ad cap. I—VIII.)

Siquis spectaverit Isidem illam 1), quae non nisi parvula lunae rutunditate capiti supra frontem affixa, et umbone, in quem pallae fines supra humeros injecti exeunt, a matrona Romana differt, deinde mentem adverterit ad priscas illas Aegyptiacas effigies, quae eandem deam nudo corpore, capite aut vaccino aut humano sed semper vaccinis cornibus praedito nobis ostendunt, facile agnoscet magnum discrimen cum temporis tum morum inter hanc et illas imagines interesse neque mirabitur inter

1) Isidem dico quae est in Museo Vaticano (Visconti, Museo Planch. VI p. 106 pl. XVI) quae etiam conspicitur in A. Baumeister Bilder aus den Griech. und Röm. Altertum. München 1889. pag. 73.

homines, qui hanc et illam deam mente ac manibus fingerent, multum interfuisse.

Innumerabilis est numerus deorum Aegyptiacorum 1). Sed praeter ingentem illam plebem deorum, qui singulis rebus, temporibus, laboribus usus quotidiani praesunt, ceteri dii dividendi sunt in duo saecula. Prius saeculum eorum deorum est, qui universum mundum creaverunt; posterius est eorum qui Aegyptum regunt, eiusque quasi conditores sunt. Sed etiam in iis quae de universi mundi creatione fabulantur, facile Aegyptios agnoscas, qui omnem feracitatem Nili aquae tribuunt. Chaos iis est Aqua tenebrosa, in qua inde ab aeternitate concubuere dea Nouït et deus Sibou, quorum hic telluris deus, illa caeli dea est. Hoc coniugium secrevit Shou, i. e. ille qui erigit sive in altum tollit. Hic deam illam in altum sustulit, ita ut stellatum eius corpus convexum caeli factum sit, quod passis deae brachiis cruribusque, quasi quattuor columnis, nititur. Telluris deus frustra uxorem suam sequi conatus est, ideoque jacet, jacebitque contorto illo habitu, qui in omni telluris facie formaque conspicitur sed praecipue in campis qui dicuntur Delta. Hic deus est quem Saturnum

1) Vid. Maspéro, Histoire Ancienne des Peuples de l'Orient Classique. Les Origines. Egypte et Chaldée. Paris 1895 pag. 175, 177.

dixerint Graeci ita ut mare (quasi lacrimae essent, quas dolor ei expressisset) Saturni lacrimas nuncupaverint. 1) Ex Aqua illa Tenebrosa etiam emerserunt Rha i. e. Sol et Thot, Lunus.

Alterius saeculi multijuges dii sunt, qui singuli in singulis oppidis primorem locum inter ceteros deos obtinebant. Saepe singulis illis bini alii addebantur, plerumque ita ut deae maritus idemque frater et filius amborum aut deo uxor eademque soror item cum filio adderentur, qui trini triades efficerent. Inter has triades posterioribus Aegyptiacae culturae temporibus principem locum obtinuerunt Isis et Osiris et amborum filius, Horus sive Harpocrates dictus. Hi in urbe Busuri 2), per omne Delta, denique Alexandriae colebantur.

Horum trium fabula ample narratur a Plutarcho in Libro de Iside et Osiride cap. 12—19.

Primaria huius fabulae significatio haec est. Isis est terra Aegyptiaca, quae quotannis ab Osiride, qui est Nilus, fertilis redditur. Osiris autem ab inimico suo, Typhone, per insidias vincitur: eius corpus abs Typhone dilaceratur; Nilus enim quotannis decrescit et paene evanescit et occumbit siccitati (Typhoni), quae ex deserto veniens

---

1) Plutarch. C 32. ὡς ἡ θάλαττα Κρόνου δάκρυόν ἐστιν.

2) Herod. 59. ἐν ταυτῇ (Βούσιρι) γὰρ δὴ τῇ πόλι ἐστὶ μέγιστον Ἴσιος ἵρον· ἵδρυται δὲ ἡ πόλις αὕτη τῆς Αἰγύπτου ἐν μέσῳ τῷ Δέλτα.

Aegyptum obruit. Sed filius, qui Isidi et Osiridi natus est, et qui temperiem felicem restituit, Nilo patri roborem restituit, eiusque inimicis obsistit.

Sed qui factum est ut Graeci et Romani tantopere adamare didicerint haec numina, quae ad Aegyptum solam pertinere videantur. Omnium hominum illis temporibus (de saeculis dico quibus singuli principes rebus humanis praeesse coeperant) expectationes vergebant ad »credendum in unum Deum.« Acceptissimus igitur eorum deorum cultus erat, qui quam plurimorum deorum provincias amplecti videbantur. Hoc autum inveniebant in diis Aegyptiacis. Nam omnibus fere omissis, quae ad Nilum solum pertinent, agnoscebant in Iside deam unicam omniparentem, in Osiride deum patrem, in Harpocrate (s. Horo) naturam semper renascentem. 1)

Altera causa cur doctrina Aegyptiorum Graecis et Romanis tam accepta esset, haec erat quod certam notionem polliceri videbatur de iis quae homines post mortem maneant.

Hoc Graeci, Graecorumque exemplum secuti

---

1) Plutarch. 56 Ἡ δὲ κρείττων καὶ θειοτέρα φύσις ἐκ τριῶν ἐστι, τοῦ νοητοῦ καὶ τῆς ὕλης καὶ τοῦ ἐκ τούτων, ὅν κόσμον Ἕλληνες ὀνομάζουσιν — καὶ τόν μὲν Ὄσιριν ὡς ἀρχήν, τὴν δὲ Ἶσιν ὡς ὑποδοχήν, τὸν δὲ Ὧρον ὡς ἀποτέλεσμα.

Romani semper sibi persuasum habuerant omnes gentes eadem numina colere, eademque numina sub diversis nominibus latere. Frustra igitur laboremus, si conemur uniuscuiusque nominis rationem quaerere, quod Isidi ab Apuleio tribuatur, cum praesertim Aegyptii ipsi insignia diversorum deorum nunc huic nunc illi tribuerent, quae res Graecis nova causa facta est deos et deas inter se confundendi. Attamen nonnulla indicabimus quae nominibus illis, quibus et Lucius deam (cap. II) et dea ipsa se (cap. V) nuncupat, lucem affundere possint.

»*Summas dea*« (cap. I) et »*Regina Caeli*« (cap. II) Isis facta est posterioribus temporibus culturae Aegyptiacae, praesertim cum Harpocratem, qui Solis est deus, peperisse dicatur. Caelum enim vacca est ex qua sol natus est. Sed communis est error Graecorum et Romanorum, quod Isidem pro Lunae dea habebant. 1) Orbis qui in veteribus Isidis imaginibus inter eius cornua cernitur, sol est. Luna autem Aegyptiis *deus* erat nempe Thot. 2) Etiam in sculptura Isis confusa est cum Luna. In Museo Vaticano (Visconti Mus. P. Cl. t. VI p. 108 XVII. 1 apud Lafaye in Catalogo 38) est Isis in cuius

1) Plutarch c. 52.

2) Vid. Parthey ad Plutarchum pag. 155.

fronte inest orbis lunae, quem duae serpentes circumdant. Caput. humerique velo sunt tecta.

In Museo Loverano statua est 'sidis Lunae (apud Lafaye 39) in cuius fronte insunt duo cornua Ius. Capilli revincti sunt diademate, in quo medio lunae semirutunda forma conspicitur, in qua serpens papaveribus circumdata insurgit.

Multi etiam quaesiverunt de iis quae Isidi communia sunt cum Maria Virgine, imprimis Trede (das Heidenthum in der Römischen Kirche) qui nomina collegit, quae ambabus communia sunt: Isis Pelagia et Maria Regina Maris, Madonna del Porto Salvo (Trede. I pag. 283), Maris Stella (Trede 3. 144—145) *Παναγία θαλασσιτρία* (B. Schmidt, Das Volksleben der Neugriechen und das hell. Alterthum 1. pag. 39). Isis Soteira (quam noster dicit C. 25 »*Sanctam* et *humani generis sospitatricem perpetuam)* Madonna dell' Ajuto (Trede. 2. 370).

Quod Isis vero »*Ceres*« (cap. 11) appellata est, maximi momenti fuit ad cultum eius per Graeciam et totum imperium Romanum volgandum. Herodotus statim agnoverat Isidem et Cererem eandem esse deam: II. 59 *Ἶσις δέ ἐστι κατὰ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσαν Δημήτηρ*. Et Plutarchus hanc similitudinem jam magis philosophice interpretatus est: dicit enim: (cap. 53) *ἡ γὰρ Ἶσίς ἐστι τὸ τῆς φύσως θῆλυ καὶ*

δεκτικὸν απασης γενέσεως, καθὸ τιθηνὴ καὶ πανδεχὴς ὑπὸ τοῦ Πλάτωνος, ὑπὸ δὲ τῶν πολλῶν μυριώνυμος 1) *κέκληται, διὰ τὸ πάσας ὑπὸ τοῦ λόγου τρεπομένη μορφὰς δέχεσθαι καὶ ἰδέας.* Inventio sationis et omnino agriculturae ei secundum Diodorum tribuitur (I. 14) *Ἶσις — εὑροῦσα τῆς κριθῆς καρπόν.* In Hymno Andrio 2) Isis ita loquens inducitur: (vs. 44)

ἐμμὶ δ᾽ ἀρούρας
πυροτόκω μεδέοισα, δαϊξάνδρων ἀπό χειρῶν
ἐχθομένα βρώμαν.

Et in Hymno qui in insula Iö inventus est: 3)

ἐγὼ μετὰ
τοῦ ἀδελφοῦ Ὀσεί[ρ]εος τὰς ἀνθρωποφαγίας ἔπαυσα.

Leemans, Papyri Graeci Musei ant. publ. Lugd. Bat. 1. 1843 p. 123 haec habet de Iside:

τὴν μεγαλώδοξον εὐεργέτειαν καρπῶν
Εὐεργέτιαν καὶ θεῶν ἄνασον (sic) *Ἶσιν.*

»Isi o fruge nova etc« carmen ita exordiens laudabo ad *Ididis Navigium. Frugifera* etiam appellatur in inscriptione C. I. L. VI. 351 quae infra laudabitur.

Isis homines non tantum agriculturam docuit sed etiam lino conficere vestes ostendit.

---

1) *μυριώνυμος* etiam in inscriptione infra laudata C. I. L. III 882.

2) Orphica ed. Abel p. 289 et Hymn. in Isidem ed. Sauppe p. 19—20.

3) Fränkel, Archeol. Zeit. 1878. pag. 130. vs 21 et 22.

λινόπεπλος δαίμων (Philipp. Thess. epig. 10. 1.)
Αἰγύπτου βασίλεια λινόστολος (Hymn. Andruis vs. 1.)

Anthol. Lat. ed. Riese pag. 261. 395 haec habet, »Carbaseos postque hunc artus indutus amictus Memphidos antiquae sacra deamque colit."

Her. II pag. 167. Cap. 37. *εἵματα δὲ λίνεα φορέουσι αἰεὶ νεόπλυτα, ἐπιτηδεύοντες τοῦτο μάλιστα.*

Ideo et Isis et Nephtys textrices dicuntur quae Osiridis vestem texuerunt. (Brugsch. Rel. 737—738.)

Cista, quae cap. XI nominatur, etiam Cereris propria est.

Ut Ceres, ita et Isis mysteria instituisse dicitur, teste Plutarcho cap.27. *ὁ Τυφὼν — καὶ πάντα ταράξας ἐνέπλησε κακῶν γῆν ὁμοῦ τε πᾶσαν καὶ θάλασσαν, εἶτα δίκην ἔδωκεν. Ἡ δὲ τιμωρὸς Ὀσίριδος ἀδελφὴ καὶ γυνή, τὴν Τυφῶνος σβέσασα καὶ καταπαύσασα μανίαν καὶ λύσσαν, οὐ περιεῖδε τοὺς ἄθλους, καὶ τοὺς ἀγῶνας οὓς ἀνέτλη καὶ πλάνας αὐτῆς, καὶ πολλὰ μὲν ἔργα σοφίας πολλὰ δ' ἀνδρίας ἀμνηστίαν ὑπολαβοῦσαν καὶ σιωπήν, ἀλλὰ ταῖς ἁγιωτάταις ἀναμίξασα τελεταῖς εἰκόνας καὶ ὑπονοίας καὶ μίμημα τῶν τότε παθημάτων, εὐσεβείας ὁμοῦ δίδαγμα καὶ παραμύθιον ἀνδράσι καὶ γυναιξὶν ὑπὸ συμφορῶν ἐχομένοις ὁμοίων καθωσίωσεν.*

Isidis mysteria, quae apud nostrum indicantur quidem, non describuntur, Cereris mysteriis similia fuisse videntur teste Lactantio, qui haec de utriusque mysteriis testatur (Inst. 1.21) »Sacra vero Cereris Eleusiniae non sunt his dissimilia. Nam sicut ibi Osiris puer planctu matris conquiritur, ita hic

ad incestum patrui matrimonium rapta Proserpina.«

Fama est Orpheum ex Aegypto mysteria advexisse teste Theodoreto (Graecarum affect. curat. I de fide, Patr. Gr. Tom 83 Sp. 820—821 ed. Migne): *ταῦτα ἐκ τῆς Αἰγύπτου τὰ ὄργια [τῆς Ἴσιδος καὶ Ὀσίριδος] μαθὼν [ὁ] Ὀδρύσης Ὀρφεὺς εἰς τὴν Ἑλλάδα μετήνεγκεν καὶ τὴν Διονυσίων ἑορτὴν διεσκεύασεν.*

Teste Pausania Hermionae in Isidis templo mysteria Cereris habebantur: Pausanias II. XXXIV. 10. *ὁ δὲ Σεράπιδι ᾠκοδόμηται καὶ Ἴσιδι. καὶ περίβολοι μεγάλων λίθων λογάδων εἰσίν· ἐντὸς δὲ αὐτῶν ἱερὰ δρῶσιν ἀπόρρητα Δήμητρι.*

Sic Aconia Fabiana Paulina et Isiaca est et initiata mysteriis Bacchi, Cereris et Proserpinae. C. I. L. VI 1780.

»Fabiae. Aconiae. Paulinae. C. F.

Filiae. Aconii. Catullini. V. C. Ex praef. et. consule. ord.

Uxori. Vetti. Praetextati. V. C. praef. et. consulis. designati.

Sacratae. apud. Eleusinam. Deo. Jaccho. Cereri et Corae.

Sacratae. apud. Laernam. Deo. Libero. et. Cereri et Corae.

Sacratae. apud. Aeginam. Deabus. Tauroboliatae. Isiacae.

Hierophantriae. Deae. Hecatae. Graeco. Sacraneae. Deae. Cereris."

Cur »*Venus*« dicatur Isis intellegere possumus si scimus Isidem jam ab ipsis Aegyptiis confusam esse cum dea Hathor, vid. Plut. 56 *ἡ δ' Ἶσις ἔστιν ὅτε καὶ Μὸυθ καὶ πάλιν Ἄθυρι καὶ Μεθύερ προσαγορεύεται.* Ubi Parthey adnotat *Ἄθυρι* esse Hathor, quae fere Aegyptiis erat, quae Graecis Aphrodite est. Deae Hathor etiam vacca erat propria, et Hathor quoque vaccino capite conspicitur.

Quod vero »*Phoebi Soror*« appellatur, hoc quoque est exemplum alterius deae provinciae ab Iside occupatae. In Bubasti enim Herodotus Dianam agnoverat (II c. 59). Narrat autem se in Aegypto audivisse de insula natanti, nomine Chemmi (II 156). In hac insula, quae ante stabilis fuisset, Latonam Apollinem (i. e Horum) et Dianam (i. e. Bubastin) Isidis liberos, recepisse, ne ab Osiridis inimico Typhone invenirentur et trucidarentur (*Ἀπόλλωνα δὲ καὶ Ἄρτεμιν Διονύσου καὶ Ἴσιος λέγουσι εἶναι παῖδας, Λητοῦν δὲ καὶ τροφὸν αὐτοῖσι καὶ σώτειραν γενέσθαι — τὴν δὲ νῆσον διὰ τοῦτο γενέσθαι πλωτήν* Herod. l. l.) Etiam filiae igitur Bubastidis provinciam asciverat Isis.

Proserpina (cap. II. 253. 3).
Stygiam Proserpinam (cap. V. 255. 13.)
Hecatam (ibid. — 14.)

Jam Plutarchus in Iside Proserpinam agnovit: c. 27 *καὶ Ἶσιν τὴν Περσέφασσαν.* Isis jam antiquis Aegyptiis dea est quae mortuis opem fert. Osirin, enim a Typhone per insidias occisum in vitam restituit, eiusque lacerata membra composuit. At non tantum corpori eius consulit, etiam animum apud inferos comitatur. Eandem autem opem, quam Osiridis animae tulit, etiam ceteris mortuis, quibus benevola est, ferre creditur Isis 1). Innumerabilia sunt prostypa et delineationes, in quibus Isis conspicitur Osiridi mortuo opem ferens, ut passim in Libro Mortuorum. Etiam in columna cum inscriptione bilingui, quae servatur in Museo Loverano. 2) Isis mortuis aquam sacram libare creditur, quod illam facere discimus ex Inscriptione

---

1) Vide Maspéro, libro laudato pag. 180—194.

2) Vide E. de Rougé, Not. des Monuments Egyptiens du Louvre 7me éd. pag. 124 no. 125.

Alexandrina sepulcrali (Néroutsos-Bey, Rev. arch. 3e ser. 9, 1887. pag. 199 no. 2.

σοὶ δὲ Ὀσείριδος ἁγνὸν ὕδωρ Εἶσις χαρίσαιτο.

Haec libatio comparanda esse videtur cum *refrigerio* quod Christiani a Christo et apostolis se accepturos esse sperabant. 1) Haec enim inprimis causa fuit cur Isis et omnino dei Aegyptiaci Graecis et Romanis tam grati advenerint: certam doctrinam de vita immortali polliceri videbantur.

Huc spectare multis locis in libro XI. Apuleius videtur: *cap. VI,. 256. 19. Vives beatus — vives gloriosus et cum spatium saeculi tui permensus ad inferos demearis, ibi quoque in ipso subterraneo semirutundo me, quam videbis* 2) *Acherontis tenebris interlucentem Stygiisque penetralibus regnantem, campos Elysios incolens ipse tibi propitiam frequens adorabis, quod si sedulis obsequiis et religiosis ministeriis et tenacibus castimoniis numen nostrum promerueris, scies ultra statuta fato tuo spatia vitam quoque tibi prorogare mihi tantum licere."*

Saepe »*Hecate*« conjuncta est cum Iside in num-

---

1) Vid. Marligny, Dict. des Antiquités Chrétiennes, sub voce: refrigerium, ubi laudatur S. Galasius ap. Muratori Lit. Rom. vet. 1. col 749 „Ut digneris dare ei locum refrigerii;" ibid col. 760: „Dona omnibus, quorum hic corpora quiescunt, refrigerii sedem."

2) Codices: *vides.*

mis vid. Num. Zeitschrift Bd. 21 p. 319 anm. 17 vgl. p. 215.

Gemma, en qua sunt Serapis, Isis, Hecate, describitur apud Lafaye in catal. No. 176. Ibi conspicuus est Serapis, tenens sceptrum, ad pedes eus Cerberus, a laeva Isis, a dextra Hecate Bubastis. Itidem credideris Isidis locum Hecaten tenere inter Harpocratem et Chnubim in atra iaspide in collectione Domini Petri Levenii quae Coloniae est, descripta apud Friedler, Bonner Jahrbücher H. 14 p. 22 nr 35 et Hecate cum Anubide in Collectione Berolinensi (Tölken 9 Cl. 3 abth. nr 101 pag. 449—450.)

Pessinuntiam deum Matrem, (cap. V pag. 255.9.)

Haec est illa Mater Idaea sive Cybele, quam libri Sibyllini Pessinunte advehi jubebant, ut Livius narrat libro XXIV cap. 10 et 11. Extat autem in Museo Vaticano ingens caput de marmore factum, quod Cybeles est sed cum solitis Isidis insignibus. Nempe caput tectum est tegmine illo (klaft) quod in Isidis et Isiacarum imaginibus capillos et partem frontis velare solet. In summo tegmine apertura est ad lotum recipiendum, qui ibi quoque repositus est sed manu recentiore. Ab utraque tegminis parte pendet infula ; tres infulae conspi-

ciuntur in pectore (Apud Lafaye in Catal. No. 40; Visconti Museo Chiaramont. pl. I; vid. Num Zeitschrift Bd. 21 p. 163 not. 14; Göhler, Wochenschrift fur klass. Philologie 2. 1885 Sp. 264—265.

Minerva (cap. V pag. 255. 10.)

Minervam suam Graeci initio non in Iside sed in dea Saïtica, quam Aegyptii Neïth appellabant, agnoverant, ut jam apparet ex Platonis Timaeo 21. e ἔστι .... πόλις Σάϊς· οἷς τῆς πόλεως θεὸς ἀρχηγός ἐστι„ Αἰγυπτιστὶ μὲν τοὔνομα Νηΐθ, Ἑλληνιστὶ δὲ, ὡς ὁ ἐκείνων λόγος, Ἀθηνᾶ.

Ipsi Aegyptii inter Neïth et Isidem distinxerunt, quamvis insignia huius saepe etiam illi tribuerentur (vid. Parthey ad Plut. pag. 176). Sed Neïth cum Iside confusa error Plutarchi esse videtur, quem et Apuleius secutus est. Plut. cap. 9. τὸ δ'ἐν Σάει τῆς Ἀθηνᾶς, ἣν καὶ Ἶσιν νομίζουσιν, ἕδος κτλ. et cap. 62. τὴν μὲν γὰρ Ἶσιν πολλάκις τῷ τῆς Ἀθηνᾶς ὀνόματι καλοῦσι, φράζοντι τοιοῦτον λόγον„ ἦλθον ἀπ' ἐμαυτῆς" ὅπερ ἐστὶν αὐτοκινήτου φορᾶς δηλωτικόν.

Etiam in sculptura Isis saepe cum Minerva confusa est. Extat in Museo Loverano statua Isidis Minervae. Induta est pallium fimbriis ornatum, quod in pectore umbonem efficit. Velum, quod et ipsum fimbriis ornatum est, pendet ex

humeris. Subter statuam delineata est noctua Minervae (Lafaye pag. 275 catal. 37.)

In Bollettino Archeol. Napolit. 1854—55 pag. 182 coll. 2 et tab. VIII fig. 1. descripta est lucerna, in qua conspicitur Isis Panthea, cuuis caput *Minervae* galea est tectum. De hac lucerna vide infra.

Junonem (cap. V 255. 14.)

Postquam in Sarapi Jovem agnoverant Graeci Romanique (Cf. *ΕΙϹ ΖΕΥϹ ϹΕΡΑΠΙϹ* quod in plurimis gemmis legitur 1)) non mirum est eos in Iside Junonem agnoscere. Non tamen monumenta sunt quae hoc probent. Sed locus apud Ovidium est, ubi porta Isidis, tamquam Junonis Lucinae opem invocet, nempe ut Corinnae adsit, quae parturiens in dubio vitae lassa jaceat (Amorum II. XIII.)

»Isi Paraetonium, genitaliaque arva Canopi
Quae colis et Memphin, palmiferamque Pharon:
Quaque celer lato Nilus delapsus in alveo
Per septem portus in maris exit aquas:
Per tua sacra precor, per Anubidis ora verendi:
Sic tua sacra pius semper Osiris amet:
Pigraque labatur circum donaria serpens:

---

1) In Iaspide rubra quae Berolini servatur, cf. Lafaye cat. 138 C. I. G. 7041; in altera iaspide rubra ibid. 139; in vitro ibid. 143. C. I. G. 7042.

Et comes in pompa corniger Apis eat,
Huc adhibe vultus".

Frustra quaesivi numquid causae invenire possem cur et *Bellonam* se ipsa nuncupet Isis. Quod vero et *Rhamnusia* i. e. Themis dicitur, inde explicatur quod Isis et Δικαιοσύνη est, ut adnotavi ad cap X pag. 260 3 »*aequitatis indicium*."

Sed frustra laboramus in singulis nominibus explicandis, cum tandem Isis Panthea evaserit. Huius rei cum alia tum documento est lucerna, quae describitur a Minervini (Bollettino archeologico Napolitano 1854—55, pag. 182 col. 2 et tav. VII fig. 1). Isis ibi est *alata*, *Minervae galea* tecta; laeva manu tenet cornu copiae, quae solet Fortunae insigne esse, dextera pateram tenet. Supra caput lotus est. Pone ipsam conspicitur serpens, Neptuni delphis, Jovis aquila; ante ipsam fax Cereris, ara fructibus onusta, cui serpens circumvoluta est, Herculis fustis, sistrum Isidis, Apollinis lyra, Vulcani forceps, Mercurii caduceus, Bacchi thyrsus, fascis spicarum et papaverum, ex quo pendent Rheae cymbala; etiam inest volucer, qui nisus dicitur, et luna crescens, capite infantis Harpocratis ornata.

ADNOTATIO DE ISIDIS VESTE ET HABITU.

(ad Cap. III. pag. 253. 27—254. 27.)

Cum Iside hic descripta mire conveniunt duae statuae, quas descriptas invenio apud Lafaye (cat. 35 et 45). Altera extat in Museo Vaticano (Visconti, Museo P. Cl. t. VI p. 106 pl. XVI) habet pallam, cuius oras fimbriae (*vid. nostrum c. III 254. 12*) circumdant, et quae in pectore in umbonem *(254. 10)* exit. Capilli, quibus infula circumdata est, uti apud nostrum »*uberrimi prolixique et sensim intorti — per divina colla — passive dispersi molliter defluunt*" *(253. 29)*. Supra frontem luna crescens est, loto et plumis insuper ornata. 1)

---

1) Vide BAUMEISTER, Bilder aus dem Gr. u. Röm. Alterthum, München 1889 pag. 73.

Altera statua in Museo Capitolino est (Lafaye cat. 45). Statua est elegantissima. Tunicam habet longis manicis ornatam. Palla fimbriis instructa *per umbonem* tunicae adjuncta est. Lotum habet fronti impositum. Capilli longo velo tecti »*uberrimi prolixique per colla defluunt.*"

Capilli uberrimi in ceteris quoque Isidis simulacris conspiciuntur (Lafaye cat. 40, 41, 42) quibus etiam mulieres, Isidis sacris initiatae, insignes erant (*cap. X. 259. 14. illae limpido tegmine crines madidos obvolutae.*")

Qualis »*corona*" (*cap. III. 253, 3*) fuerit, fortassis optime intellegitur ex iis quae Letronne adnotat ad Inscriptionem Rossetteanam vs. 43. Inscriptionis locus huc qui pertinet hic est:

43. *ὅπως δὲ εὔσημος ᾖ νῦν τε καὶ εἰς τον ἔπειτα χρόνον, ἐπικεῖσθαι τῷ ναῷ τὰς τοῦ βασιλέως χρυσᾶς βασιλείας δέκα, αἷς προςκείσεται ἀσπὶς [καθάπερ καὶ ἐπὶ πασῶν]*
44. *τῶν ἀσπιδοειδῶν βασιλειῶν* 1)

Haec *βασιλεία* 2), »regale decus", uti dicit Ovidius loco in Prooemio laudato (Metam. IX 689) non corona est qualis apud Graecos et Romanos usitata erat, sed Aegyptiacorum regum et reginarum regale

1) Letronne, Inscriptions Grecques de l'Egypte, I. pag. 303.

2) Diod. Sic. I. 48 in descriptione simulacri Ozymandyae dicit eam *ἔχουσαν δὲ τρεῖς βασιλείας ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, ἃς διασημαίνειν ὅτι καὶ θυγάτηρ καὶ γυνὴ καὶ μήτηρ βασιλέως ὑπῆρξε.*

decus, mire huic coronae congruens, quam Isis gerit. In delineatione, quam Letronne adnotationi suae addit, conspicimus »*planam rotunditatem in modum speculi vel immo argumentum lunae candidum lumen emicans* (*cap. III 254. 1*)" conspicimus »*dextra laevaque sulcos insurgentium viperarum*" (*ibid*). Absunt solae »*Spicae Cereales*" (*ibid.*) sed haec soli Isidi, non regibus et reginis illis conveniebant.

Saepe *Spicis Cerealibus (254.4)* ornata est Isis in simulacris e. g. in gemma (Lafaye catal. 161. Tassie 1446 XXIV) ubi Serapis calatho ornatus est, Isis autem lotum et spicas supra frontem gerit.

Isidis statua est in Palatio Borghesio, in qua super frontem duae spicae surgunt ex luna semenstri, qua nititur solis orbis (Matz und v. Dahn. Antike Bildwerke in Rom, 1. pag. 451 No. 1581.)

Spicas et sceptrum manibus tenet statua, quam nominat Clarac (III 422, 746 p. 91.)

Spicas ante pectus tenet Isis in statua quae delineata est et descripta apud Michaelis, Ancient Marbles in Great Brittain pag. 358 nr 73.

Spicas dextra gerit Isis Taposiris, cuius statua extat Faesulis. Est nempe simulacrum mulieris vestitae sedentis, cuius desunt caput et sinistrum brachium ; cubitum sinistrum impositum est in genu et prope id vas (situla formae Aegyptiacae *auctore*

Helbig) manus dextra supra genu posita spicas tenet. Inest haec inscriptio (C. I. L. XI. 1544.)

»Dominae. Isi. Taposiridi.
Gargennius. Sp. F. Sca. Maximus. Veteranus.
Nomine. fratris. sui. M. Gargenni. Sp. F. Sca.
Macrini. Veterani.«

<*Vestis tunica*> 1) *multicolor bysso tenui pertexta.* (254, 5).

Vestis byssina, i. e. lintea semper Isidi tribuitur quia, ut Ceres, non tantum agriculturam homines docuit sed etiam artem tradidit de lino vestes conficiendi, unde *λινόπεπλος δαίμων* (Philipp. Thess. epigr. 10. 1) et *Αἰγύπτου βασίλεια λινόστολος* (Hymn. Andrio vs. 1) dicitur. Unde etiam Isiaci lineas vestes usitabant ut adnotavi in adnotatione de Initiatis ad cap. X 259.11.)

De *tunica* haec adnotat Zoëga N. Aeg. p. 167,48: »Conjicio equidem innui habitum mulierum lactantium, ut nodo, qui vestem retinebat, facili negotio solvendo numquam non essent paratae ad ubera infanti praebenda.«

Palla nigerrima (254. 8) etiam a Plutarcho Isidi tribuitur cap. 52. *εἰσὶ γὰρ — — — τὴν δ᾽ Ἶσιν οὐχ ἑτέραν τῆς σελήνης ἀποφαίνοντες καὶ τῶν ἀγαλμάτων αὐτῆς τὰ μὲν*

---

1) Verba inserta a Van der Vliet.

κερασφόρα τοῦ μηνοειδοῦς γεγονέναι μιμήματα, τοῖς δὲ μελανοστόλοις ἐμφαίνεσθαι τὰς κρύψεις καὶ τοὺς περισκιασμούς·

Atrae vestis Isidi tributae haec origo fuisse videtur quod, cum Osiridis mortem lugeret, atram vestem induisse creditur, uti etiam Plutarchus narrat per illos dies per quos Osiridis mortem Isis lugeat, vaccam, (quae est Isidis simulacrum) atra veste byssina tectam circumferri: cap. 39. *οἱ ἱερεῖς ἄλλα τε δρῶσι σκυθρωπά, καὶ βοῦν διάχρυσον ἱματίῳ μέλανι βυσσίνῳ περιβάλλοντες ἐπὶ πένθει τῆς θεοῦ δεικνύουσι (βοῦν γὰρ Ἴσιδος εἰκόνα καὶ γῆν νομίζουσιν)*

In Museo Neapolitano (in conclavi I. 157) statua Isidis est cuius caput, brachia, pedes de marmore candido, vestis vero de marmore atro confecta sunt (Lafaye catal. No. 51.)

Inde etiam collegia erant sacerdotum, qui *μελανηφόροι* dicebantur, quorum mentio fit in his inscriptionibus.

C. I. G. 2293. In Deli monte Cyntho (in muro templi Apollinis, auctore Riedesel.)

Οἱ μελανηφόροι καὶ οἱ θεραπευταὶ — — — || σ]ῶ[ν]α Ἑρμοκράτου Δε — — —, [ἐπιμελητὴν || Δήλου] γενόμενον — — — || ἀρετῆς ἕνεκεν καὶ εὐσε[βείας ἀνέθηκαν || Σαράπιδι [Ἴ]σι[δι], Ἀνούβιδι, Ἁρπο[κράτει || ἐπ[ὶ ἱ]ερέως || Δημοσίου [τ]οῦ Πολυκλε[ί]ιου || Ἀλωπε[κ]ῆθεν. || Ἡφαιστίων Μύρωνος Ἀθηναῖος || ἐποίει. ||

2294. In Delo.

Ισι || Κ]τήσιππος || Κτησίππου || Χῖος || με]λανηφόρος

2296. *Γάϊος Γαΐου Ἀχαρνεύς, ἱερεὺς γενομενος ἐν τῷ ἐπὶ Ναυσίου ἄρχοντος ἐνιαυτῷ καὶ οἱ μελανηφόροι καὶ οἱ θεραπευταὶ ὑπὲρ τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων καὶ τοῦ δήμου τοῦ Ῥωμαίων Ἴσιδι Δικαοσύνῃ ἱδρύσαντο*

2297. Laudabo ad *pastophoros.*

Etiam dea ipsa *Μελανόστολος* dicitur in hac inscriptione.

C. I. G. 5039.

χρυσοχέλ[υ] Παιάν, Μανδοῦλι, Ἀθηνᾶς ἀγάπημ[α] ἐπίσ[η]μο[ν], Λατοῦς γόν[ε], χρη[σ]μ[ῳ]δέ, λυρόκι[υ]π[ε], ἴη[ι]ε Ἀπόλλων, ὁ τὴν μελανόστολον [βα-] σί[λ]ισ[σαν] εἰλί[σσων] — — — [ε]ἰσαθρήσας δ' ἐγὼ ἔνθα [ε]ἴης, ἱκανῶς προςκυνή[σ]ας σ[ε] τὸν προκαθη[γέτην] Μανδοῦλι[ν] καὶ προορ[ῶ]ν ἐχάρην] τὴν σὴν [μ]αντοσύνην τίς δ' ἂ[ν] κομίσαι [τ' ἐ]πινεύσαντ[ος];

ubi Niebuhr vs. 3—4 *βασιλίσσην Ἶσιν.*

Fortassis etiam *Μελλάνη*, quod legitur in inscriptione Delia (Bull. de Corr. Hell. 6 pag. 344. n°. 61) Isin significat.

Etiam hac in re cum Cerere convenit, cum etiam *Δημήτηρ Μέλαινα* audivisse videatur (Förster, Raub .u Rückkehr der Persephone, pag. 248.)

Quod vero Apuleius dicit »*coronam totis floribus totisque constructa pomis adhaerebat*« (*cap. III 254.17*) sciendum est non tantum in omnibus fere simulacris lotum Isidi tribui sed etiam nonnullas esse effigies ubi poma et alios fructus gerere videtur. In pictura Pompeiana (Lafaye catal. 219)

Isis laeva manu tenet pateram fructibus onustam; statua Isidis aerea est Aroliis (Gaedichens, Die Antiken in Arolsen p. 80 No. 205) cuuis manus laeva tenet fructum. Prostypon est ex terra coctili fictum, in eo Isis laeva manu tenet pateram, in qua inter spicas iacent pomum pineum et duo alia poma (Lafaye catal. 94). Patera cum frugibus Isidi vovetur in Inscriptione (L. I. L. XIV 2215.)

(Cap. IV. 254. 14) *Stellae dispersae.* Stella quae Isidis propria est, Sirius (Sothis) est. Oritur nempe cum Nilus crescere incipiat.

ADNOTATIO DE CREPITCAULO

ad cap. IV pag. 254.8.

Crepitaculum idem est quod sistrum, *τὸ κρόταλον* jam apud Herod. II. 60. *αἱ μέν τινες τῶν γυναικῶν κρόταλα ἔχουσαι κροταλίζουσι.* Plutarchus eodem modo describit, nisi quod virgularum numerum auget, nempe quattuor addit c. 63 *Ἐμφαίνει καὶ τὸ σεῖστρον, ὅτι σείεσθαι δεῖ τὰ ὄντα καὶ μηδέποτε παύεσθαι φορᾶς, ἀλλὰ οἷον ἐξεγείρεσθαι καὶ κλονεῖσθαι καταδαρθάνοντα, καὶ μαραινόμενα· τὸν γὰρ Τυφῶνά φασι τοῖς σείστροις ἀποτρέπειν καὶ ἀποκρούεσθαι δηλοῦντες ὅτι τῆς φθορᾶς συνδεούσης καὶ ἱστάσης, αὖθις ἀναλύει τὴν φύσιν καὶ ἀνίστησι διὰ τῆς κινήσεως ἡ γένεσις. τοῦ δὲ σείστρου περιφεροῦς ἄνωθεν ὄντος ἡ ἁψὶς περιέχει τὰ σειόμενα τέτταρα· καὶ γὰρ ἡ γεννωμένη καὶ φθειρομένη μοῖρα τοῦ κόσμου περιέχεται μὲν ὑπὸ τῆς σεληνικῆς σφαιρᾶς, κινεῖται δ' ἐν αὐτῇ πάντα καὶ μεταβάλλεται διὰ τῶν τεττάρων στοιχείων, πυρὸς καὶ γῆς καὶ ὕδατος καὶ ἀέρος.*

Sistrum quod, Pompeiis inventum, apud Rich delineatum est, quattuor habet virgulas (Rich, dictionnaire des antiquit. s.v. *sistrum*). Ipse tale sistrum vidi in Museo Leidensi.

Etiam Ovidius sistrum solitum Isidis insigne nominat: Art. Amat. Lib. III. 635.

»Quid faciet custos, cum sint tot in Urbe theatra?
cum spectet junctos illa libenter equos?
cum sedeat Phariae sistris operata juvencae;
quoque sui comites ire vetantur, eat?«

Pharia et hic et passim apud Ovidium ceterosque poetas dicitur pro Aegyptiaca.

ADNOTATIO

ad cap. VIII pag. 257.26

Pompae magnae paulatim procedunt anteludia votivis cuiusque studiis exornata pulcherrime.

Herodotus 1): „*Πανηγυρίζουσι δὲ,*" inquit: „*Αἰγύπτιοι οὐκ ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ, πανηγυρίας δὲ συχνάς.* Semper tales pompae, quibus deorum effigies et insignia circumferebantur, propriae fuerunt cultus Aegyptiaci. Herodotus describit 2) pompam qua illius, quem ipse Martem, Aegyptii vero Anhur (vid. Brugsch ad l.l. in editione Steinii) nuncupant, dei simulacrum, postquam pridie asportatum est ad

1) II 59.
2) II 63.

aedem aliam, in aedem suam ipsius reducunt. Hinc omnia illa fercula, lecti, *παστάδες*, bacula, deorum insignibus ornata, aediculae, quae circumferebantur. Illorum adhuc magna multitudo aut ipsa extat aut figurata invenitur, de quibus suis locis agam.

Neque sacerdotes tantum illas pompas participabant, sed etiam, uti apud Apuleium nostrum sic apud Herodotum, mille et altera milia virorum feminarum; qui tibiis canentes, saltantes, omnibus ludibrii modis delectantes (II. c. 60. *συμφοιτέουσι δέ, ὅ τι ἀνὴρ καὶ γυνή ἐστι πλὴν παιδίων, καὶ ἐς ἑβδομήκοντα μυριάδας*) pompam comitantur. In descriptione vero pompae illius in Martis honorem habitae dicit multitudinem illam, quae pompam comitetur, id facere vota quaedam solvendi causa: „*ὀλίγοι μέν τινες τῶν ἱρέων περὶ τὤγαλμα πεπονέαται, οἱ δὲ πολλοὶ αὐτῶν ξύλων κορύνας ἔχοντες ἑστᾶσι τοῦ ἱροῦ ἐν τῇ ἐσόδῳ, ἄλλοι δὲ* ε ὐ χ ω λ ὰ ς ἐ π ι τ ε λ έ ο ν τ ε ς *πλεῦνες χιλίων ἀνδρῶν. — — — οἱ δὲ εὐχωλιμαῖοι.* Recte igitur in Apulei loco verba »*votivis — studiis*« interpretabimur, si illa non cum Hildebrandio acceperimus pro »gratis, acceptis« sed pro studiis eorum qui vota exsolvunt.

Duo sunt praecipua officia, quibus sacerdotes Aegyptiaci deos colunt: alterum est deorum simulacra vestire et exornare (de qua re agemus in

annotatione de sacerdotibus), quod *τὸν στολισμὸν τῶν θεῶν* dicunt; alterum est simulacra deorum circumferre, *πανηγύρεις* sive *ἐξοδείας* habere. In inscriptione Rosetteana ita describuntur quae facienda sunt in honorem Ptolemaei regis, qui nomine Epihanes inter deos receptus est 1): *ἱδρύσασθαι δὲ βασιλεῖ Πτολεμαίῳ, θεῷ Ἐπιφανεῖ, Εὐχαρίστῳ, τῷ ἐκ βασιλέως Πτολεμαίου καὶ βασιλίσσης Ἀρσινόης, θεῶν Φιλοπατόρων, ξόανόν τε καὶ ναὸν* 2) *χρ[υσᾶ ἐν ἑκάστῳ τῶν] ἱερῶν· καὶ καθιδρύσαι ἐν τοῖς ἀδύτοις μετὰ τῶν ἄλλων ναῶν· καὶ ἐν ταῖς μεγάλαις πανηγύρεσιν, ἐν αἷς ἐξοδεῖαι τῶν ναῶν γίνονται καὶ τὸν τοῦ θεοῦ Ἐπιφανοῦς, Εὐ[χαρίστου, ναὸν συνε]ξοδεύειν.*

Et Clemens Alex. Stromat V. 7. 44 pag. 671. Pott. *ἐν ταῖς καλουμέναις παρ᾽ Αἰγυπτίοις κωμασίαις, τῶν θεῶν χρυσᾶ ἀγάλματα περιφέρουσι.*

Neque Claudiani poetae tempore, circa quadringentesimum post partum Virginis annum hic mos exoluerat. Legimus enim apud eum in Panegyri de Quarto Consulatu Honorii Augusti vs. 570 sqq:

»Sic numina Memphis
In vulgus proferre solet. Penetralibus exit
Effigies; brevis illa quidem: sed plurimus infra

---

1) Inscriptio Rosetteana vers. 41 apud Letronne: les Inscriptions Grecques de l'Egypte, Paris 1848. I. pag. 249.

2) **ναόν**, i. e. aediculam.

Liniger et posita suspirat veste sacerdos
Testatus udore deum. Nilotica sistris
Ripa sonat, Phariosque modos Aegyptia ducit
Tibia: submissis admugit cornibus Apis.«

Cum »*anteludiis*« his fortassis comparanda sunt quae legimus de festis Innocentium Medii Aevi.

ADNOTATIO

ad Cap. VIIII pag. 258. 17.

Inter has oblectationes ludicras popularium, quae passim vagabantur, jam sospitatricis deae peculiaris pompa moliebatur.

Pompa igitur ex tribus partibus constare videtur. Prima est ea quam *anteludia* (VIII p. 257. 27) efficiunt. Altera et tertia conjunctae, *pompam peculiarem deae* efficiunt, sed si ad singulas spectaveris, prior constat ex turba eorum qui, quamvis deae cultores, sacris tamen non initiati sunt, altera autem ex initiatis et sacerdotibus constat. Notandum igitur est non omnes cultores initiatos esse.

Secunda pars totius pompae ante et juxta deam ingredi videtur; nam feminae illae speculis pone tergum reversis venienti deae *obvium commonstra-*

bant obsequium et deam ornabant. Illae igitur feminae videntur eodem officio fungi, quo solent illi sacerdotes qui στολισταί sive ἱερόστολοι dicuntur. Horum enim est deorum simulacra vestire et ornare et quidem ita ornare ut vestis semper illis feriis, quae subinde celebrantur, conveniat. Plutarchus 1) qui hac in re, ut semper, non id agit ut rem sacram sic nude enarret, sed ut interiorem sensum et philosophicam inde vim eliciat, dicit eos demum vero nomine ἱεροστόλους dici, οἱ τὸν ἱερὸν λόγον περὶ θεῶν, πάσης καθαρεύοντα δεισιδαιμονίας καὶ περιεργίας, ἐν τῇ ψυχῇ φέροντες ὥσπερ ἐν κίστῃ καὶ περιστέλλοντες, τὰ μὲν μέλανα καὶ σκιώδη τὰ δὲ φανερὰ καὶ λαμπρὰ τῆς περὶ θεῶν ὑποδηλοῦντες οἰήσεως, οἷα καὶ περὶ τὴν ἐσθῆτα τὴν ἱερὰν ἀποφαίνεται.

Item in descriptione Osiridis Inventionis 2) scribit: „καὶ τὴν ἱερὰν κίστην οἱ στολισταὶ καὶ οἱ ἱερεῖς ἐκφέρουσιν."

In inscriptione Rosetteana vs. 6 στολισταί primariis sacerdotibus adnumerantur: ibi legitur enim: οἱ ἀρχιερεῖς καὶ προφῆται καὶ οἱ εἰς τὸ ἄδυτον εἰσπορευόμενοι πρὸς τὸν στολισμὸν τῶν θεῶν et ibid. vs. 40 ubi describitur quid sit faciendum in honorem Ptolemaei regis, qui inter deos receptus est, hoc vestiendi officium expressis verbis significatur: καὶ τοὺς ἱερεῖς

1) Cap. 3. 2) Plut. c. 89.

θεραπεύειν τὰς εἰκονας τρὶς τῆς ἡμέρας· καὶ παρατιθέναι αὐτοῖς ἱερὸν κόσμον.

Quanta autem cum cura dea Isis vestiretur et ornaretur etiam apparet ex duabus inscriptionibus, quarum altera est in Bollettino dell' Instit. di corr. arch. di Rom. 1871 pag. 56.

Altera descripta est in C. I. L. II 3386.

Inventa est Gadibus, nunc exstat in palatio ducum Medinaceli. Litterae sunt saeculi secundi vel medii vel exeuntis, hodie magna ex parte evanidae.

Isidi ⊠ Puel 1) ....
jussu dei Ni 2) ...
Fabia L. F[ilia] Fabiana Avia
In-honorem-avitae-neptis.
Piissimae-ex-arg-P(ondo) CXII (centum duodecim)
s (semis) ⌒ (unciarum duarum)
ɔ (scriptulorum)
L (semunciae)
v (quinque)
Item. ornamenta || in. basilio. unio. et. margarita n(umero). VI. zmaragdi. duo. cylindri. N(umero).
VII. gemma car
bunclus. gemma hyacinthus. gemmae cerauniae

---

1) Puel[larum] conjecit Lafaye, Momms. puel[lari].
2) Ni[lotici] conjecit Lafaye Momms. Ne[tonis].

duae || in. auribus. zmaragdi. duo. margarita. duo ||
in. collo. quadribacium. margaritis. N(umero).
XXXVI.

zmaragdis. n(umero) XVIII; in clusuris. duo; ||
in. tibiis zmaragdi duo. cylindri n(umero XI; ||
in spataliis. zmaragdi. n(umero). VIII. margarita.
n(umero) VIII; || in digito. minimo. anuli

duo. gemmis. adamant(ibus) digito. sequenti. anulus.
polypsephus. zmaragdis. et. margarito; in digito.
summo

anulus. cum smaragdo; || in soleis. cylindri
n(umero) VIII.

ADNOTATIO

ad Cap. VIIII. pag. 259. 1.

Symphoniae dehinc suaves, fistulae tibiaeque modulis dulcissimis personabant. Eas — sequebatur chorus —. Ibant et dicati magno Sarapi tibicines.

Ars musica semper apud Aegyptios magno in honore fuit. Testatur et de antiquioribus temporibus Herodotus l.l. (II. 60) in descriptione feriarum et pompae quam Bubasti agunt: *οἱ δὲ αὐλέουσι κατὰ πάντα τὸν πλόον, αἱ δὲ λοιπαὶ γυναῖκες καὶ ἄνδρες ἀείδουσι καὶ τὰς χεῖρας κροτέουσι.*

De temporibus Romanis et scriptores et inscriptiones consuli possunt. Martialis in Epitaphio Philaenis, IX, XXX, 6.

Heu quae lingua silet! non illam mille catastae
Vincebant, *nec quae turba Serapin amat.*

Maximi momenti Inscriptio est Romae inventa ad templum D. Mariae in Via Lata. Sermo ibi est collegii Paeanistarum qui »patrem« suum, Emben nomine, honorant. C. I. G. 5898.

Ἡ ἱερὰ τάξις τῶν Παιανιστῶν
τῶν ἐν Ῥώμῃ Διος
Ἡλίου μεγάλου Σαράπιδος καὶ θεῶν
Σεβαστῶν ἐτείμησαν Ἐμβῆν
προφήτην, πατέρα τῆς προ-
γεγραμμένης τάξεως, προτο-
μῇ μαρμαρίνῃ, ἣ ἀνατεθεῖσα
ἐν τῷ οἴκῳ τῶν Παια-
νιστῶν τῇ πρ(ὸ) $\overline{α}$ Νωνῶν
Μαΐων ἥ ἐστιν κατὰ
Ἀλεξανδρεῖς Παχων $\overline{ια}$.
ἐπὶ κουράτορος Μετειλίου
Ἀμπλιάτου πρεσβυτέρου,
Σέξτῳ Ἐρουκίῳ Κλάρῳ
Γνέῳ Κλαυδίῳ Σεβήρῳ κως.

»Etiam Nero captus,« ut Suetonius narrat in capite XX Vitae Neronis: »modulatis Alexandrinorum laudationibus, qui de novo commeatu Neapolim confluxerant, plures Alexandria evocavit.«

Sed mirum est hic neque cantores neque tibicines sacerdotibus adnumerari cum Clemens Alexandrinus (Strom. I. pag. 303.) *τοὺς ᾠδους*

sacerdotibus adnumeret, et paeanistae illi collegium sacrum efficiant.

Pag. 259. 4. *venustum carmen.*

Cum hoc carmine fortasse conferendum est illud carmen quod Tibullus fecit ad diem natalem amici Messalae ornandum, et eo Osiridis quoque laudes canit (Tibull. I. VII. 21) aut illa carmina, quae nuper in inscriptionibus inventa sunt: Cii in urbe Bithyniae (Frochner, Inscriptions Grecques du Louvre No. 1); Ii in insula (Archaeologische Zeitung 1878 p. 131); Andri in insula (editum a Kaibelio, Epigrammata Graeca pag. 437 No. 1028.)

ADNOTATIO

ad cap. IX. pag. 259, 8.

De vocabulis »Magno Sarapi.«

Sarapis nomen hieroglyphice nusquam, Graecis litteris scriptum crebro in inscriptionibus invenitur, sed tantum in inscriptionibus rege Epiphane (205—182 ante Chr.) recentioribus. In Inscriptione Rosetteana, quae Epiphani coaetanea est, nondum legitur, legitur in Papyris Memphiticis, quae Philometoris (182—146 ante Chr.) aetate scripta sunt: a quo tempore inde Osiris nomen non amplius invenitur: jure igitur Sarapidis nomini cessisse putatur. 1)

Haec temporum indicatio mire congruit cum iis quae a Plutarcho et Tacito narrantur: nempe

1) Letronne I. pag. 156.

Sarapin deum a rege Ptolemaeo Sotere (305—284) ex Ponto et quidem Sinope advectum esse: quod tamen ita narrant ut appareat illos de alia quoque, nempe Aegyptiaca, origine dei quaedam audivisse. Supervacaneum est Plutarchi et Taciti narrationes referre, cum mera Alexandrinorum commenta sint, (quod infra videbimus), sed operae pretium est animadvertere quomodo Tacitus sibi ipse contradicat. Postquam enim narravit quanto tandem labore deus advectus sit, haec addit: »Templum pro magnitudine urbis exstructum loco, cui nomen Rhacotis: *Fuerat illic sacellum Sarapidi atque Isidi antiquitus sacratum.*

Plutarchus quoque post narrationem illam addit (c. 29) quorundum opinionem esse: *οὐκ εἶναι θεὸν τὸν Σάραπιν, ἀλλὰ τὴν Ἄπιδος σορὸν οὕτως ὀναμάζεσθαι.*

Antiquitus igitur ambigebatur fueritne Sarapis deus externus an deus Aegyptiacus. Hoc saeculo veram explicationem Aegyptologi reppererunt, quae etiam sub Plutarchi verbis latere videtur. Est enim re vera *Osor-Hapi* i. e. Osiris qui sub Apis specie mortalibus apparet. 1) Ab isdem investigatum est unde mirabilis illa fabula orta sit, quae et a Plutarcho et abs Tacito narratur, nempe Sarapidem Sinope Pontica esse advectum. Orta est

---

1) Lafaye pag. 17.

haec fabula a nomine perperam intellecto, deinde pervolgata ab antistitibus templorum Alexandrinorum, quippe quibus volentibus esset deum illum, qui Alexandriae a Graecis et ab omni genus hominibus colebatur, originem suam non ex Aegypto sed ex regionibus longe remotis ducere.

Vera autem Sarapidi origo haec est 1). Erat prope Memphin collis, in quo tauri illi, qui Apis dicebantur, alebantur. Nomen huic colli erat Sen-Api, i.e. Sedes Apis; quod nomen suae pronuntiationi adaptaverunt et Sinopen nuncupaverunt. Graeci propter crebram autem mercaturam, quae inter Aegyptum et Pontum intercedebat, nomen hoc rettulerunt ad Ponticam urbem Sinopen. Inde haec fabula.

Quod dicit Apuleius »*Magno Sarapi*" optime congruit cum titulo, qui inde ab Hadriani fere temporibus in dedicationibus legitur nempe

ΔΙΙ ΗΛΙΩΙ ΜΕΓΑΛΩΙ ΣΑΡΑΠΙ 1)

Mirum est quod cum in inscriptionibus nusquam nomina Sarapis et Osiris simul legantur, Apuleius hic »Sarapi" dicit, cap. XXVII vero sine ulla causa et nullo discrimine facto »Osiris". Ignorabatne

1) ibid.

Apuleius se duobus nominibus eundem deum nuncupare? Dubitare possumus sed nihil pro certo affirmare.

Inscriptio Chia est qua legitur Hymnus ille in Isin (C. I. G. 3724) ubi sic appellatur Osiris:

Ἀγαθῇ τύχῃ

Οὐρανίων πάντων βασιλεῦ, ἄφθιτ᾽ Ἄνουβι·
σός τε πατὴρ χρυσοστέφανος πυλύσεμνος Ὄσειρις,
αὐτὸς Ζεὺς Κρονίδης, αὐτὸς μέγας ὄβριμος Ἄμμων
κοίρανος ἀθανάτων, προτετίμηται σὲ Σάραπις.

Ad haec Boekh adnotavit »Equidem arbitror ἐσ in δὲ mutandum esse, sive iste lapicidae error est, quod probabilius, sive transcribentium. Osiris enim et Sarapis in unam commiscentur personam. Sententia est: »Et pater tuus Osiris, qui et Juppiter et Ammon dominus immortalium, eximie vero colitur ut Sarapis." "

---

1) Letronne I pag. 156.

ADNOTATIO DE *INITIATIS*

ad cap. X. pag. 259. 11.

»*Tunc influunt turbae sacris divinis initiatae, viri feminaeque omnis dignitatis et omnis aetatis linteae vestis candore puro luminosi, illae limpido tegmine crines madidos obvolutae, hi capillum derasi funditus vertice praenitentes.*«

His verbis tertia pompae pars indicatur quae ex initiatis constat. Hi deae simulacrum, quamquam non expressis verbis dicitur, stipare et pone sequi videntur. Nam quin deae simulacrum illos sequeretur, qui »deae obvium ministerium« commonstrabant, licet dictum non sit, tamen addubitare non possumus. *Sed mirum est nihil de deae simulacro dici.* Nam bos illa, quae (XI. 260. 17) »*in erectum levata statum*« sequebatur non illa

dea est, cui specula obtendunt, cuius crinium ornatum atque obpexum fingebant (IX. 26.). Ubi igitur est illa dea, quae fulget absentia, quamquam ad eius numen quasi omnis pompa incedere videtur?

At redeamus ad initiatos. Eorum habitus et vestis hic apud Apuleium tales sunt ut semper et apud scriptores describuntur et in prostypis et delineationibus conspiciuntur.

Linea veste uterque sexus vestitur.

Virorum capita ad cutem usque rasa sunt.

Mulieres crines habent tegmine obvolutos. 1)

Hac in re consentiunt testimonia cum scripta tum picta et ficta.

Inde passim dicuntur »calvus grex« et »grex liniger." Sic apud Juvenalem VI. 526.

»Qui *grege linigero* circumdatus et *grege calvo*
Plangentis populi currit derisor Anubis."

Sic Tibullus, Corcyrae morbo deprensus, magnam pietatem erga Isin Deliae suae vovet, si se dea ad sanitatem revocasset: I. Eleg. III. 29, 30.

»Ut mea votivas persolvens Delia voces
Ante sacros, lino tecta, fores sedeat."

Ovidius Isiacorum vestem etiam ipsi deae tribuit cum dicit: (Ex Ponto. Lib. I. 1. 51.)

---

1) Vide praeterea quae adnotavi de Isidis veste et habitu ad cap. III.

»Vidi ego *linigerae* numen violasse fatentem
Isidis, Isiacos ante sedere focos."

Idem Amor. II, II, 25. haec habet:

»Nec tu, linigeram fieri quid possit ad Isin,
Quaesieris: nec tu curva theatra time."

In Anthologia latina. ed. Riese pag. 261. No. 395 de Isiaco dicitur:

»Carbaseos postque hunc artus indutus amictus
Memphidis antiquae sacra deamque colit."

Herodotus II. 37 haec habet *εἵματα δὲ λίνεα φορέουσι αἰεὶ νεόπλυτα, ἐπιτηδεύοντες τοῦτο μάλιστα.* Ideo et Isis et Nephthys textrices dicuntur, quae Osiridi vestem texuerint.

Lucanus etiam hanc vestem Osiridi tribuit, ubi dicit Pharsal. IX. 159

»Evolvam busto numen jam gentibus Isin,
Et tectum lino spargam per volgus Osirin."

Martialis Epigrammat. Lib XII. XXIX. 19.

»Linigeri fugiunt calvi, sistrataque turba,
Inter adorantes cum stetit Hermogenes."

Tac. Histor. III 74. Domitianus prima Vitellianorum inruptione apud aedituum occultatus periculum effugit, sollertia liberti *lineo amictu turbae sacricolarum inmixtus.*

Etiam Valerius Maximus *habitus Isiaci* mentionem facit loco ubi de *Anubide* agendum erit laudando (VII. III. 8).

Suetonius narrat Othonem: »sacra etiam Isidis saepe in lintea religiosaque veste propalam celebrasse." (Vita Othonis cap. XII).

Item Suetonio auctore Isiaci abs Tiberio coacti sunt »religiosas vestes cum instrumento omni comburere." (Vita Tiber. cap. XXXVI).

Isiacus etiam *habitus* fuit, quo Domitianus ex Capitolio evasit, quo se bello Vitelliano contulerat. (Sueton. Domit. cap. I).

In Lampridii Vita Commodi cap. IX. (Commodus) »sacra Isidis coluit, ut et caput raderet et Anubin portaret". Eadem res narratur in Aelii Spartiani Vita Pescennii Nigri cap. VI.

Plutarchus suo more habitus Isiaci rationem dat. Falsam esse eorum opinionem dicit qui putant sacordotibus et carne ovili et lanea veste abstinendum esse, quia oves diis sacrae ab Aegyptiis habeantur et eosdem capitibus rasis esse ut moerorem significent et veste lintea uti, quia lini flos aethera colore aequet. Tum pergit (Cap. IV) *ἡ δ᾽ἀληθὴς αἰτία μία πάντων ἐστί·καθαροῦ γαρ, ἡ φησιν ὁ Πλάτων, ου θεμιτὸν ἅπτεσθαι μὴ καθαρῷ. περίσσωμα δὲ τροφῆς καὶ σκύβαλον οὐδὲν ἁγνὸν οὐδὲ καθαρόν ἐστιν· ἐκ δὲ περιττωμάτων ἔρια καὶ λάχναι καὶ τρίχες καὶ ὄνυχες ἀναφύονται καὶ βλαστάνουσι. γελοῖον οὖν ἦν τὰς μὲν αὐτῶν τρίχας ἐν ταῖς ἁγνείαις ἀποτίθεσθαι ξυρωμένους καὶ λειαινομένους πᾶν ὁμαλῶς τὸ σῶμα, τὰς δὲ τῶν θρεμμάταν ἀμπέχεσθαι καὶ φορεῖν ————. τὸ δὲ λίνον φύεται μὲν ἐξ ἀθανάτου τῆς*

γῆς, καὶ καρπον ἐδώδιμον αποδίδωσι, λιτὴν δὲ παρέχει καὶ καθαρὰν ἐσθῆτα καὶ τῷ σκέποντι μὴ βαρύνουσαν, εὐάρμοστον δὲ πρὸς πᾶσαν ὥραν, ἥκιστα δὲ φθειροποιόν — —.

In Iseo Pompeiano inventum est simulacrum aeneum, quod inscriptum est *C. Norbanus Sorex*, cuius caput funditus rasum est (vid. Overbeck. Pompii pag. 273.)

Isiaci igitur peculiarem gregem, a ceteris civibus sejunctum, effecisse videntur. Pompeiis etiam se conjunxisse videntur ut suo candidato honores conciliarent. Ibi enim inventa est inscriptio (C. I. L. IV 787.)

CN. HELVIUM
Sabinum. AE. Isiaci
Universi. Rog.

Ubi supplendum est »averunt« uti legatur: »Rogaverunt.« Helvius igitur candidatus aedilitatis erat quem omnes Isiaci suffragiis rogabant.

In aliis inscriptionibus etiam dicuntur »collegia« et »sodalicia« et »corporati« Isiacorum.

C. I. L. III 882 (inventa Potaissae in Dacia):

Isidi. Myrioni
mae. C. Jul. Mar-
tialis. Pater. Et.
L. Livius. Victori-
nus. quaestor
collegio Isidis
D. D.

II 3730. Reperta in ipso fluvio Turia, Valentiae Tarraconensis.

Sodalicium
Vernarum
Colentes. Isidem.

VI 2244. Romae inter arcum Constantini et septizonium Severi in tabella.

Sextilius. P. L. Papia
Fecit. sibi. et. patrono
Hic. sacrorum. Isidis. conditus. est.

VI 2245 in tabella marmorea Romae effossa in monumento sepulcrali eruta in vinea appellata »di Minerva Medica« ad Portam Majorem.

Lucretia
Amaryllis
Isidis· Sacror.

V 7682. Augustae Bagiennorum (in Museo Taurin.)

V. P.
Q. Verquasius
Q. L. Optatus
Sacrorum Cultor.

VI 349. Isi | di Aug. sa | crum
. . . . jus | Datus. suo. nomine et.po. | puli collegi in qua | estura. templum. corpo | ratis conferen tibus a | uctum. et. consummat | um dedicavit et corporatis | VI. R. Majas viritim dedit.

Interdum etiam *Anubiaci* dicuntur apud Orellium 6029 (Romae) et *Telestini* in Inscriptione Fori Popilii inventa, apud Orellium 2309. Etiam Graeco nomine *Ὀργιασταί* dicuntur ab Appiano in Bello Civili IV. 47. Etiam »Sacrorum ab Roma« in inscriptione apud Orelli 2315.

ADNOTATIO DE REBUS SACRIS,

DEORUM INSIGNIBUS, OMNINO DE IIS REBUS QUAS APULEIUS UNO COMPREHENDIT NOMINE:

cap. X, pag. 259.21.

»*Potentissimorum deum ... insignis exuvias*".

Hi omnes, *sacrorum geruli* (uti dicit ipse Apuleius cap. XVI. 264. 23) recte etiam *ἱερόφοροι* (Plutarchi Cap. III) sive *ἁγιάφοροι* dicuntur uti in hac inscriptione: (C. I. Att. III. 162.) [.. *τὰ*] *κιόνια καὶ τὸ αἴτωμά* || [*κ*]*αὶ τὰς κινκλίδας καὶ τη*[*ν*] *Ἀφροδείτην τῇ θεῷ ἐκ* || *τῶν ἰδίων ἀνέθηκεν, ἐ* || *πισκευάσασα καὶ αὐτην* || *τὴν θεὸν καὶ τὰ περὶ αὐτήν,* || *οὖσα καὶ λυχνάπτρια αὐ* || *τῆς καὶ ὀνειροκρίτις. Στολίζοντος Αἰμιλίου* || [*Ἀττι*]*κου Μελιτέως, ἱεραι*[*εύ*] || *οντος ἰακχαγωγοῦ Διονυ* || *σιου Μαραθωνίου, ζωκο*[*ρ*]*εύοντος ἁγιαφόρου Εικάρ* || *του.*

Singulorum quoque officiorum singula nomina reperiuntur in inscriptionibus.

»*Primus*" ille qui: »*lucernam claro praemicantem porrigebat lumine.*" (ibid 22) eodem fungitur officio quo Athenis femina fungebatur: C. I. A. III 162 *λυχνάπτρια.* cf. supra laudatam inscriptionem.

Talis *lucerna*, Puteolis inventa describitur apud Lafaye in Catalogo 132 (Witte, Description du Cabinet Durand No. 1777). Lucerna formam habet naviculae sive cymbii, in qua insunt et Isis et Serapis, qui gubernaculum tenet. Supra est Dioscurorum alter, sub quo inscriptum est: *ΕΥΠΛΟΙΑ*. In navicula inscriptum est:

ΛΑΒΕΜΕΤΟΝΗΛΙΟ ΣΑΡΑΠΙΝ.

(Ibid. 26.) »*Secundus — manibus ambabus gerebat altaria.*"

Hic fortasse idem est qui *ἐπιβώμιος* dicitur in Mysteriis Eleusiniis, cuus nomen occurrit in C. I. G. 71. 184. 192—194.

Altaria talia quae circumferri poterant inventa sunt Mutinae (Bollettino dell' Instituto di Corresp. Archaeol. di Roma 1846 p. 28) et Pompeiis vid. Pompei antiqu. historiam 9 Aug. 1765 et Atti dell' Academ. Ercol. 1833, p. 27, ubi describitur talis *ara* ex aere confecta.

Tertius Anubidis insignia gerere videtur, nam et *palma* et *Mercuriale caduceum* fere Anubidi tribuuntur uti infra in Annotatione de Anubide (ad cap. XI pag. 160. 14) videbimus.

(Pag. 260.3). *Aequitatis indicium:* hoc indicare videtur Isidem Justitiam cf. Plutarch. cap. III *διὸ καὶ τῶν ἐν Ἑρμοῦ πόλει Μουσῶν τὴν προτέραν Ἶσιν ἅμα καὶ Δικαιοσύνην καλοῦσιν.*

Etiam nominatur in inscriptione Deliaca C. I. G. 2296.

Γαΐος Γαΐου Ἀχαρνεύς, ἱερεὺς γενόμενος ἐν τῷ ἐπὶ Ναυσίου ἄρχοντος ἐνιαυτῷ καὶ μελανηφόροι καὶ οἱ θεραπευταὶ ὑπὲρ τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων καὶ τοῦ δήμου τοῦ Ῥωμαίων Ἴσιδι Δικαιοσύνῃ ἱδρύσαντο.

Etiam Themis (Ma-t-mei) dicitur Isis (*Rhamnusia* V. 15).

7. *idem gerebat vasculum*, *σπονδαύλης* C. I. G. 2983 ad Ephesum inventa.

Ἐπικράτης Ἱεροκῆρυξ
Ὀνήσιμος ἐπιθυμίατρος
Μητρόδωρος σπονδαύλης
Λ. Κοσίννιος Γαϊανὸς ἱεροσαλπίκτης, Ὀλυμπιονείκης

Adnotatam invenio apud W. C. King, the Gnostics (pag. 111), Kohleri conjecturam hoc vasculum simulacrum esse vasculi fictilis, in quo volvitur axis gyri, qui adhuc usurpatur ad irrigandos campos supra Nili inundationes sitos.

Conferantur etiam quae Brugsch (Lexic. Hierodemot. II pag. 380) narrat, nempe in feriis in Hathor deae honorem quae celebrantur, feminarum papillas monstrari.

9. *quintus vannum (l)aureis congestum*, hic est λικνοφορός. Vannus ex Cereris cultu adsumtus esse potest sed etiam Osiridis insigne erat, quo vanno Osiris judex mortuorum, bene et male facta distinguere solebat, ut paleas et granum (Wilkinson III 81.)

ADNOTATIO DE SACERDOTIBUS

ad Cap. X. pag. 259. 18

»Sed et magnae religionis terrena sidera, antistites sacrorum proceres illi, qui candido linteamine cinctum pectoralem ad usque vestigia strictim injecti.«

Inter initiatos igitur ipsi sacerdotes incedunt. Ex inscriptionibus passim inventis, nonnulla colligi possunt quae utiliter comparaveris cum hisce, quae in Apulei libro leguntur. Sed ante quam singula perscrutamur, notandum est nullum eorum nominum peculiarium, quae in inscriptionibus sacerdotibus conferuntur, apud Apuleium legi, singula vero officia quae singulis nominibus indicantur, universis sacerdotibus promiscue tribui. Non ὀνειροκρίτης (C. I. Att. III 162) apud Apuleium nominatur sed tamen sacerdotes et maximus et ceteri deae mandata in somniis accipiunt. Non ἱεράφοροι memorantur sed sunt qui potentissimorum deorum

praeferant *insignis exuvias* (cap. X et XVII). Non mentio fit τῶν στολιστῶν, sed sunt qui *intra cubiculum deae recepti rite simulacra disponant* (cap. XVII). Non pausariorum mentio fit sed sunt qui, cum pompa ad mare advenerit, (XVI) ibi *rite simulacra disponant.*

§ 1. Locus primarius est quem praebet inscriptio Rosetteana vs. 6.

οἱ ἀρχιερεῖς καὶ προφῆται καὶ οἱ εἰς τὸ ἄδυτον εἰσπορενόμενοι πρὸς τὸν στολισμὸν τῶν

vs. 7. *θεῶν, καὶ πτεροφόραι καὶ ἱερογραμματεῖς καὶ ἄλλοι ἱερεῖς πάντες.*

Τὸν ἀρχιερεά Apuleius jam libro II. cap. XXVIII descripsit: »*Zatchlas adest Aegyptiacus, propheta primarius — — — juvenem linteis amiculis injectum pedesque palmeis baxeis indutum et adusque* <*cutem*> 1) *deraso capite.*"

ἀρχιερεύς quoque est quem Apuleius nostro libro appellat »*Sacerdotem maximum*" (cap XVI et XX), *primarium sacerdotem* (cap XXI) et »*Mithram meum jam parentem*" (cap XXV).

Talis etiam sacerdos est quem Flavius Josephus (Antiqu.Judaeic.XVIII 3) in Paulinae et Mundi adulterii enarratione appellat *τῶν ἱερέων τὸν γεραίτατον.* Neque ab re mihi videtur quaedam ex hac narratione

---

1) <Cutem> inseruit J. v. d. Vliet.

conferre cum iis quae Apuleius narrat. Patet enim ex hac narratione quantopere mulieres complures tum temporis cultui Isidis deditae essent; dicit enim Flavius Paulinam fuisse *θεραπείᾳ τῆς Ἴσιδος σφοδρὰ ὑπηγμένην.* Sed quantum ille »Sacerdotum natu maximus" qui equiti Mundo templi Isidis copiam facit, ubi sub Anubidis specie, matronam Romanam nobilem stupret, distat a Mithra illo, quem Lucius »*Suum jam parentem*" nuncupat, quem dicit non solum »*Senem comissimum*" (cap XXII) sed etiam »*virum alioquin gravem et sobriae religionis observatione famosum.*"! (cap XXI) Praeterea mirabilis est stultitia cum castae matronae, quae marito narrat sibi et coenam et concubitum dei promissa esse 1), tum probi mariti, qui uxori concedit ut ad nocturnam coenam deorum commeet. Vix credibilis igitur haec Flavii narratio est, cum praesertim neque Tacitus neque Suetonius huius adulterii (ob quod Flavius dicit Tiberium saeviisse in Aegyptiaca superstitione infectos) mentionem faciant, quamvis severarum legum contra Isiacos et Judaeos edictarum mentionem faciat uterque. 2)

---

1) l.l. *καὶ πρὸς τὸν ἄνδρα, δεῖπνόν τε αὐτῇ καὶ εὐνὴν τοῦ Ἀνούβιδος εἰσηγγέλθαι. Συνεχώρει δὲ ἐκεῖνος, τὴν σωφροσύνην τῆς γυναικός ἐξεπιστάμενος.*

2) Tacitus Ann. II 95. Sueton. Tiber c. 36.

Releganda igitur haec narratio inter eas fabulas videtur, quae gratis animis et accipiantur et pervolgentur de novis et extrinsecus advectis religionibus praesertim de iis superstitionibus, quibus libenter mulieres se dedant quasque excusantes foris tempus terant et excubent.

§ 2. Sacerdoti maximo ceteri parent; ipse ceteros appellat »*Suum numerum*" (cap XXI pag. 268, 10). Sed et primarius sacerdos et sacerdotes inferioris ordinis praecepta peculiaria a dea accipiunt ut patet ex l.l.: »*Nec tamen esse quemquam de suo numero tam perditae mentis, immo destinatae mortis, qui non sibi quoque seorsum jubente domina temerarium atque sacrilegum audeat ministerium subire.*" et ex iis quae Apuleius narrat de Asinio Marcello (XXVIII. pag. 247. 15), quem Osiris elegerat ut Lucium suis sacris initiaret. Ille vero non sacerdos maximus sed de *pastophoris* unus erat.

Hi omnes igitur, cum primarii tum ceteri, *προφῆται, ἱερόφωνοι, ἱερόφανται, profetae* appellantur, quae nomina in hisce inscriptionibus inveniuntur.

C. I. L. VII C. Ruf. Volusianus V. C. Pater Ierophanta

Profeta Isidis

Pontifex. Dei. Sol. Vot. Solvi.

C. I. G. 5898 (supra integra laudata.)

Ἐμβῆν προφήτην πατέρα τῆς

προγεγραμμένης 1)

C. I. G. 6007.

Ἀντινόῳ || συνθρόνῳ τῶν || ἐν Αἰγύπτῳ θεῶν ||
Μ. Οὔλπιος Ἀπολλώνος || προφήτης.

Ἱερόφωνος dicitur in alia inscriptione cuius exordium legitur apud Letronne, Inscr. Gr. de l'Egypte I 453 (C. I. G. 4684.)

Πάππῳ Θεογνώστῳ || Βάσσος Στράτωνος || ἐπιμελητὴς τοῦ τόπου || καὶ ἱερόφωνος τοῦ || κυρίου Σαράπιδος || εὐχαριστήριον ὑπὲρ Τριπτο- || λέμας ἀνέθηκε ἐπ' ἀγαθῷ.

§ 3. Sequuntur: „*ἱεράφοροι*" sive „*στολισταί*" sive „*ἱεροστολισταί*" sive „*ἱεροστόλοι*" denique »pausarii." Hi omnes (pausariis exceptis) nominantur a Plutarcho cap. III „*καὶ δικαίως ἱεραφόροις καὶ ἱεροστόλοις προσαγορευομένοις*. Locum integrum de iis qui *στολισταί* dicuntur jam supra ad cap. VIII laudavi. Hi quamquam non expressis verbis ab Apuleio nominantur, tamen facile agnoscuntur, scilicet in iis qui »*deum insignis exuvias praeferebant*« (cap. X) *τοὺς ἱεραφόρους* agnoscimus; pausarios in iis qui ad mare (XVI) *simulacra rite disponunt*«; *τοὺς στολιστάς* in iis qui cap. XVII »*intra cubicula deae recepti disponunt rite simulacra spirantia.*« Attamen fortasse in pompa quam Apuleius describit, singulorum singulae provinciae non ad amussim divisae fuisse putandae sunt.

---

1) i.e. *τῶν παιανιστῶν.*

§ 4. Restant »*grammateus*« et »*pastophorum collegium*« Utrique capite XVII nominantur.

Primum de »*Grammateo*« dicam.

Aegyptii, qui vetustissima doctrina gloriantur (conferatur Platonis Timaei exordium et imprimis pag. 23.) semper scribis, qui memorabilea quaeque litteris mandabant, summos tribuerunt honores. Erant nempe scribae illi omnis doctrinae doctores. Hi ipsos reges historiam patriam docebant. Inter quotidiana regum officia etiam hoc erat: audire scribam recitantem monita et res gestas ex sacris libris. 1). Scribae enim in libris suis omnia conscripserant inde a vetustissimis temporibus praesertim de regibus quot annos regnassent, quibus moribus fuissent, quae bella gessissent, qua fortuna usi essent, tum etiam qui casus populo accidissent. 2) Scribae haec scripta semper suo quisque successori tradebant.

Herodotus testatur se trecentorum triginta regum nomina ab sacerdotibus ex illis libris audiisse:

---

1) Diod. Sicul. I. c. 70 In descriptione vitae quotidianae regum: — μετὰ δὲ ταῦτα — ὁ μὲν ἱερογραμματεὺς παρανεγίνωσκέ τινας συμβουλίας καὶ πράξεις συμφερούσας ἐκ τῶν ἱερῶν βίβλων.

2) Diod. Sicul. I 69 περὶ ἁπάντων (βασιλέων) οἱ ἱερεῖς εἶχον ἀναγραφὰς ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις ἐκ παλαιῶν χρόνων ἀεὶ τοῖς διαδόχοις παραδεδομέναις, ὁπηλίκος ἕκαστος τῶν βασιλευσάντων ἐγένετο τῷ μεγέθει καὶ ὁποῖός τις τῇ φύσει καὶ τὰ κατὰ τοὺς ἰδίους χρόνους ἑκάστῳ πραχθέντα.

(II. 100) *μετὰ δέ τοῦτον κατέλεγον οἱ ἱρέες ἐκ βίβλου ἄλλων βασιλέων τριηκοσίων τε καὶ τριήκοντα οὐνόματα.*

Idem tradit sacerdotes historiam inde a diis in terra regnantibus litteris mandasse: (II. 145) *καὶ ταῦτα Αἰγύπτιοι ἀτρεκέως φασὶ ἐπίστασθαι, αἰεί τε λογιζόμενοι καὶ αἰεὶ ἀπογραφόμενοι τὰ ἔτεα.*

Flavius Josephus idem testimonium perhibet 1). Haec vero testimonia recentioribus investigationibus vera probata sunt.

Scribae mentio fit in inscriptione supra laudata (C. I. G. 4684).

Scribae effigies invenitur in prostypo, quod extat in Museo Vaticano (Visconti Museo Chiarimonti pl. II p. 11, Lafaye catal. 118). Scriba ibi conspicitur uti ab Apuleio et sacerdotes et initiati describuntur: »*Capillo derasi*« et »*vertice praenitentes*«. Librum tenet ex quo legere videtur ut scriba noster cap. XVII »*de libro, de litteris fausta vota praefatus renuntiat.*«

§ 5. De »*Pastophoris.*« (ad. cap. XVII pag. 265. 8 et cap. XXX. 277, 5. *collegium pastophorum.)*

Παστάς, sive *παστός* vetus est Graecum vocabulum,

---

1) Flavius Josephus c. Apion. 1. § 16. übi post vetusta testimonia de Aegypti antiquitate et Aegyptiorum origine haec adicit: ὁ Μανέθων μεμαρτύρηκε ἐκ τῶν παρ' Αἰγυπτίοις γραμμάτων.

quod diversis quamquam affinibus inter sese significationibus apud scriptores antiquos obvium est. Apud Herodotum 1) idem significat quod apud Homerum *αἴθουσα*; apud Xenophontem 2) et apud Plutarchum 3) idem fere quod *στοά*; apud Sophoclem invenimus de Antigones sepulcro (Antig. 1207)

ἀκτέριστον παστάδα.

Valet igitur illo loco idem fere quod *θάλαμος*, sicut etiam apud Eurepidem in Oreste 1371 et Theocritum 24. 46.

Apud scriptores igitur vocabulum *παστάς* s. *παστός* occurrit, vocabulum *pastophorus* nusquam, duobus locis Apulei, quos supra indicavi, exceptis, legitur. Sed Pastophori memorantur in inscriptionibus hisce.

C. I. G. 6202 (supra laudato)

Παστόφορος Εἴσιδος.

C. I. G. V 2806 (inscriptione reperta Abani prope Monte Grotto: nunc in academia Patavii)

[ma] xi [mo | [pro . . . Va] lerio | posuit | [Vale] rius Mer | Op [tatus Vice (tia) | [perpet] uus(?) sacerd[os] | [Isid] is Aug [ustae] | pas [tophorus.]

C. I. L. V. 7468 reperta ad vicum Monteu in camera subterranea.

---

1) Herod. II. 158 et 169.
2) Xenoph. Hier. 11. 2. Memor: III. 8. 9.
3) Plut. Vita Galbae c. 25.

Genio et Honor. | L. Pompei. L.F.Pol.Heren = | niani. eq. rom eq. publ. | Q. aer. P. et. alim. aedil. | II viro. curatori | Kalendarior. rei. P. | Collegium. pasto | phorum. Indus | triensium. Patro. | no. ob. merita.

T. Grae: Trophimus. ind. fac.

Quid autem portarent pastophori (quamquam ipsum vocabalum *παστός* sive *παστάς* nusquam ne in inscriptionibus quidem legitur), intellegitur ex inscriptione Rosetteana. 1) Describitur quid faciendum sit in honorem regis Ptolemaei qui nomine Epiphanes diis adsertus est.

Linea 40. *καὶ τοὺς ἱερεῖς θεραπεύειν τὰς εἰκόνας τρὶς τῆς ἡμέρας. καὶ παρατιθέναι αὐταῖς ἱερὸν κόσμον, καὶ τἄλλα τὰ νομιζόμενα συντελεῖν, καθὰ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς ἐν* [*ταῖς ἐν Αἰγύπτῳ πα* -]

41. *νηγύρισιν· ἱδρύσασθαι δὲ βασιλεῖ Πτολεμαίῳ, θεῷ Ἐπιφανεῖ, Εὐχαρίστῳ τῷ ἐκ βασιλέως Πτολεμαίου καὶ βασιλίσσης Ἀρσινόης, θεῶν Φιλοπατόρων, ξόανον τε καὶ ναὸν χρ*[*υσᾶ ἐν ἑκάστῳ τῶν*]

42. *ἱερῶν· καὶ καθιδρύσαι ἐν τοῖς ἀδύτοις μετὰ τῶν ἄλλων ναῶν· καὶ ἐν ταῖς μεγάλαις πανηγύρεσιν, ἐν αἷς ἐξοδεῖαι τῶν ναῶν γίνονται καὶ τὸν τοῦ θεοῦ Ἐπιφανοῦς, Εὐ* [*χαριστον, ναὸν συνε*]

43. *ξοδεύειν·*

---

1) Apud Letronne, Inscriptions Grecques de l' Egypte I pag. 249.

Simulacra lignea (ξόανα) igitur erant quae aut in lecticis (uti videmus apud Servium ad Aeneidos librum IV vs. 63 »Simulacra brevia quae portabantur in lecticis,«) aut in aediculis reponebantur. Tales aediculae quae in inscriptione Rosetteana ναοὺς appellari videmus, etiam παστάδες et παστοί appellari putandae sunt. Magna harum aedicularum copia invenitur in delineationibus, et saepissime quidem navibus vehebantur 1). In Museo Rerum Antiquarum quod est Lugduni Batavorum vidi naviculam sive cymbium quod aediculam portat, in qua conspicuum est dei — et quidem, quoad distinguere poteram, Osiridis — simulacrum. Navicula haec videtur caput baculi fuisse sed ipse baculus non servatus est. Baculus igitur, tali capite superne ornatus, aptissimus fuisse videtur qui in pompa a sacerdote circumferretur.

Aediculae huiusmodi etiam ab Herodoto nominantur in descriptione illius festi, quam supra jam laudavi: II. 63 τὸ δὲ ἄγαλμα ἐὸν ἐν νηῷ μικρῷ ξυλίνῳ κατακεχρυσωμένῳ προεκκομίζουσι. 2)

Pastophori igitur initio erant ii qui aediculas illas portabant. Ubicunque dii Alexandrini colebantur, pastophori fuisse videntur uti patet ex inscriptionibus

---

1) Vide Wilkinson (ed. Birch London 1878) III pag. 355.

2) Diod. Sicul. (I. 15) ἀγάλματα τε καὶ χρυσοῦς ναοὺς κατασκευάσασθαι.

Florentiae, Patavii, Industriae (nunc Chivasso) inventis, quas supra laudavi.

In pompa ab Apuleio descripta nulli sacerdotes inesse videntur, in quibus pastophoros agnoscas, nam nullae aediculae circumferebantur. Tamen »*coetu pastophorum velut in contionem vocato*« (Cap. XVII) scriba renuntiat *τὰ πλοιαφέσια.* Igitur aut omnes sacerdotes qui deum exuvias portabant hoc nomine comprehenduntur, aut vocabulum pastophorus primam significationem exuisse putandum est, ita ut simpliciter collegium quoddam Isiacorum significet. Quod probabilius, etiam ex vocabulo »pastophorio« quo aedificia significantur, quae »*intra consepta templorum*« (cap. XIV. 266.8) erant et ubi sacerdotes habitare, cultores deverti solebant. Pastophorium (*παστοφόριον*) hac significatione legitur in inscriptione Deli inventa, qua Delius quidam gloriatur se pastophorium Delicum munificentia sua confersisse.

C. I. G. 2297. *Θεόφιλος Θεοφίλου Ἀντιοχεύς, μελανηφόρος, τὴν κονίασιν τοῦ παστοφορίου καὶ τὴν γραφὴν τῶν τε τοῖχων καὶ τῆς ὀροφῆς καὶ τὴν ἔ[γ]καυσιν τῶν θυρῶν καὶ τοὺς προμόχθους τοὺς ἐν τοῖς τοίχοις καὶ τὰς ἐπ᾽ αὐτοῖς σανίδας ἀνέθηκε Σαράπιδι, Ἴσιδι, Ἀνούβιδι, Ἁρπο[κ]ράτει, ἐπὶ ἱερέως Σελεύκου τοῦ Ἀνδρονίκου Ῥαμνουσίου.* Ad quae Boekh: »Salmasius et Hugo Grotius a Seldeno (de Synedria II pag. 59 sqq.) laudati mihi

rectissimè videntur interpretati esse ›mansionem pastophorum, qui in conclavibus ad templum positis habitarent ubi reposita simul erant instrumenta cultus, vela, vestes etc."''

Inde a primis temporibus Christianae religionis aedificia quae adjacere ecclesiis solebant, pastophoria dicebantur. 1)

Hic jam alia oritur quaestio. In Aegypto, ut omnes sciunt, sacerdotes semper ordinem effecerunt a ceteris civibus segregatum. Apud Graecos vero et Romanos sacerdotiis semper functi sunt homines qui aeque atque reliqui cives res cum publicas tum privatas tractabant. Quid autem de sacerdotibus Alexandrinae religionis opinandum est, cum haec religio per Graecos et Romanos, omnino per universum Imperium Romanum divolgata esset? Utrum cum religione Aegyptiaca et mores Aegyptiaci advecti sunt, an hac in re Aegyptiaca religio semper Graecis et Romanis moribus obnoxia mansit?

Videmus ex inscriptionibus paulatim morem esse immutatum, sacerdotia primis temporibus juxta alia sacerdotia in templis et consensu tantum magistratuum obita esse. Sacerdotes nonnumquam in *unum*

---

1) Vid. Martigny, Dictionnaire des Antiquités Chrétiennes sub voce „pastophorium".

mensem adlectos fuisse patet ex inscriptionibus quae inveniuntur apud Le Bas et Waddington, Inscriptiones Asiae Minoris n°. 1143 vs. 9 et 10 et in adnotatione ad n°. 1140. et apud Foucart: Assoc. relig. 241 inscr. 66.

Sacerdotium Aegyptium magistratui obnoxium et cum Bacchi sacerdotio conjunctum fuisse patet ex hac inscriptione Thespiis invento, ubi senatus populusque aliquid statuisse videntur de muliere quae Isidis et Anubidis sacerdotium gesserit in Bacchanalibus.

Ἡ β[ο[υ]λὴ κα[ὶ] ὁ δῆμος
Μνασίππα [ν? — — — —
του ἱερατεύ[σασαν Ἶ
σιδος κ[α]ὶ Ἀν[ούβιδος
τῇ πόλι εἰς τ[ὴν Διο
ν] ύσου ἑορτήν.

Ubi Boekh: „ἱερατεύ[σασαν] dedi ut mulier sacerdos fuerit."

Sami, Deli, Athenis sacerdotes ad breve tempus adlecti semper in omnibus rebus magistratibus parere debebant (Bulletin de correspondance. hell. 1881 pag. 484.

Mox vero etiam ad vitam adlegebantur, uti patet ex inscriptione Termessi inventa:

C. I. G. 4365.

M. Αὐ[ρήλιος] Ἀσ[κ]ληπιάδης υἱὸς ἱερέως Σαράπιδος διὰ βίου.

Apud Apuleium jam videntur sacerdotes omnino a vita ceterorum civium segregati fuisse. Cuius rei luculentum testimonium dant aedificia templis adjacentia, in quibus sacerdotes habitarent et cultores somniis et monitis a diis per quietem mittendis vacare possent.. Insuper quod sacerdos ille Cenchreanus non Graeco nomine sed peregrino nomine Mithras utebatur, probat eum aut peregrinum fuisse ant civitatem suam exuisse.

ADNOTATIO

ad Cap. XI. 260. 11.

Nec mora cum dei dignati pedibus humanis incedere prodeunt.

I. de Anubide

Post deorum insignia, ipsi dei incedunt. Qui dei? Exspectaveris Isidem, Osiridem, Harpocratem, Anubidem; sed Isidis tantum bovem et Anubidem videmus. Incedens igitur solus Anubis conspicitur. Quis est ille Anubis? Audiamus quae Plutarchus de eo deo narrat.

Anubis filius est Nephthyis et Osiridis. Nephthys est uxor Typhonis (quem Aegyptii Seth appellant), qui Osiridi inimicissimus est. Frustra Typhon uxorem gravidam reddere conatur, sicut ventus aridus ex deserto flans agros longius a Nilo remotos

fertiles vix reddiderit. Interdum tamen Nilus praeter morem tantopere crescit ut eos quoque agros obundet, feracesque reddat. Ideo Osiris (seu Nilus) interdum inebriatus esse dicitur, ebrioque Osiridi Nephthys concubuisse et ex eo concepisse. Partus, quem edidit, abscondit 1).

Isis autem, quae, Osiridem quaerendo, terras omnes peragrabat, sensit Nephthyi Osiridem adfuisse : coronam enim melilotinam ab eo relictam, apud Nephthyn invenerat (nam melilotus in primis in illis agris, quos Osiris interdum praeter morem obundat, germinat). Tunc Isis infantem quaerere. Canibus ducibus invenit, inventumque nutrivit et educavit. Adultus autem custos et comes Isidis factus, Anubis appellatus est, et dicitur diis excubias agere perinde atque canes hominibus. 2) Inde

---

1) Cap. 38 : ὡς δὲ Νεῖλον Ὀσίριδος ἀπορροήν, οὕτως Ἴσιδος σῶμα γῆν ἔχουσι καὶ νομίζουσι, οὐ πᾶσαν, ἀλλ' ἧς ὁ Νεῖλος ἐπιβαίνει σπερμαίνων καὶ μιγνύμενος — — — Νέφθυν δὲ καλοῦσι τῆς γῆς τὰ ἔσχατα καὶ παρόρια — — —. ὅταν δὲ ὑπερβαλὼν καὶ πλεονάσας ὁ Νεῖλος ἐπέκεινα πλησιάσῃ τοῖς ἐσχατεύουσι, τοῦτο μῖξιν Ὀσίριδος πρὸς Νέφθυν καλοῦσι, ὑπὸ τῶν ἀναβλαστανόντων φυτῶν ἐλεγχομένην — ὅθεν ἡ μὲν Ἴσις ἔτεκε γνησίως τὸν Ὧρον, ἡ δε Νέφθυς σκότιον τὸν Ἄνουβιν.

2) Cap. 14 : αἰσθομένην δὲ τῇ ἀδελφῇ ἐρῶντα συγγεγονέναι δι' ἄγνοιαν ὡς ἑαυτῇ, τὸν Ὄσιριν, καὶ τεκμήριον ἰδοῦσαν τὸν μελιλώτινον στέφανον ὃν ἐκεῖνος παρὰ τὴν Νέφθυν κατέλιπε, τὸ παιδίον ζητεῖν· ἐκθεῖναι γάρ εὐθὺς τεκοῦσαν διὰ φόβον τοῦ Τυφῶνος· εὑρεθὲν δὲ χαλεπῶς καὶ μόγις, κυνῶν ἐπαγόντων τὴν Ἶσιν, ἐκτραφῆναι, καὶ γενέσθαι φύλακα καὶ ὀπαδὸν αὐτῆς, Ἄνουβιν προσαγορευθέντα, καὶ λεγόμενον τοὺς θεοὺς φρουρεῖν ὥσπερ οἱ κύνες τοὺς ἀνθρώπους.

Graeci in eo Mercurium agnoverunt eumque etiam Ἑρμάνουβιν appellaverunt. 1)

Sed hac in re Graeci et Romani semper erravere: veteribus Aegyptiis Anubis non erat canis, sed canis aureus (jakhals). 2) Quid potentiae autem cani aureo tribuebatur?

Aegyptii, ut omnes sciunt, maxime cupiebant mortuorum corpora a putrefactione servare. Cum corporibus et animas servari putabant. Videbant in tellure, quae Nilo adjacet, corpora citissime putrefieri, in desertro contra mortuorum corporum arescere atque ita carnem tardius perire. Sic in monasteriis, quae sunt in Contra-Syena, corpora monachorum, Saeculis VI, VIII, XI nostrae aerae sepultorum, adhuc spectantur satis bene servata. 3)

Credebant inde canem aureum, qui in deserto habitat, arte quadam esse praeditum, qua corpora servaret, ipsius igitur corporum condiendorum artis inventionem cani aureo tribuerunt. Hic canis aureus veteribus Aegyptiis Anubis erat 4). Passim in delineationibus Anubis, corpore humano, capite

---

1) Plutarch 61. ἔστι δὲ ὅτε καὶ Ἑρμάνουβις ὀνομάζεται.

2) Parthey ad Plut. pag. 195.

3) Maspéro, Histoire des Peuples de l'Orient, Egypte et Chaldée. Paris 1895 pag. 112.

4) Maspéro l.l. pag. 179.

canis aurei praeditus, operam navans in corporibus condiendis conspicitur. 1) At non tantum mortuorum corporibus proderat Anubis, animis quoque opem ferebat, Animos mortuorum ad inferos meantis comitatur, iisque favet et studet, cum apud Osiridis tribunal rationem dant eorum, quae bene, quae male fecerunt. Sic passim conspicitur in Libro Mortuorum. Haec altera causa est cur Graeci in eo Mercurium agnoverint, cur Plutarchus ei etiam Hecates potentiam tribuat 2) et dicat eum et *inferum* et *Olympium* esse. Ultima verba fortasse etiam ad auream et atram facies spectare videntur, quas Apuleius (cap. XI. pag. 260, 12) ei tribuit. Anubin autem et ad inferos et ad superos deos referri et hic locus Plutarchi indicat (c. 61): *ὁ δ᾽ἀναφαίνων τὰ οὐράνια καὶ τῶν ἀνὼ φερομένων Ἄνουβις λόγος* (causa), *ἔστι δὲ ὅτε καὶ Ἑρμάνουβις ὀνομάζεται, τὸ μὲν ὡς τοῖς ἄνω, τὸ δὲ ὡς τοῖς κάτω προσῆκον· διὸ καὶ θύουσιν αὐτῷ τὸ μὲν λευκὸν ἀλεκτρύονα, τὸν δὲ κροκίαν, τὰ μὲν εἰλικρινῆ καὶ φανά, τὰ δὲ μικτὰ καὶ ποικίλα νομίζοντες.*

Caninam huius dei naturam etiam more suo Plutarchus explicat. Plutarchus enim qui ex omni religione sensum interiorem et philosophiam elicere

1) Liber Mortuorum, ed. Brugsch, passim.

2) Cap. 44 καὶ ταύτην ἔχειν δοκεῖ παρ' Αἰγυπτίοις τὴν δύναμιν ὁ Ἄνουβις, οἵαν ἡ Ἑκάτη παρ᾽ Ἕλλησι, χθόνιος ὢν ὁμοῦ καὶ Ὀλύμπιος.

cupit, dicit Aegyptios non animalia pro diis habere, humanas vero et divinas virtutes, quarum etiam in animalibus vestigia et quasi symbola agnoscant, sub animalium specie colere.

Sic eos non canem pro Mercurio habere, sed eandem vigilantiam et judicium amicos inimicosque discernendi, quae in cane agnoscantur, et deo Anubidi tribui. 1)

»Canis« aut »latrator« passim apud poetas latinos dicitur Anubis. Apud Vergilium loco nobilissimo in descriptione clypei Aeneae, in quo et pugnam Actiacam caelari fingit poeta, dicit in eo certamine non id solum actum esse, utrum Octavianus an Antonius rerum potiretur sed magis utrum penes Aegyptum an penes Romam imperium orbis terrarum futurum esset.

Aen. VIII 698.

»Omnigenumque deum monstra et latrator Anubis
Contra Neptunum et Venerem contraque Minervam.
Tela tenent.«

---

1) Plut. cap. Ὅταν οὖν ἃ μυθολογοῦσι Αἰγύπτιοι περὶ τῶν θεῶν ἀκούσῃς, πλάνας καὶ διαμελισμοὺς καὶ πολλὰ τοιαῦτα παθήματα, δεῖ τῶν προειρημένων μνημονεύειν, καὶ μηδὲν οἴεσθαι τούτων λέγεσθαι γεγονὸς οὕτω καὶ πεπραγμένον. Οὐ γάρ τὸν κύνα κυρίως Ἑρμῆν λέγουσι, ἀλλὰ τοῦ ζῴου τὸ φυλακτικὸν καὶ τὸ ἄγρυπνον καὶ τὸ φιλόσοφον, γνώσει καὶ ἀγνοίᾳ τὸ φίλον καὶ τὸ ἐχθρὸν ὁρίζοντος, ᾗ φησιν ὁ Πλάτων, τῷ λογιωτάτῳ τῶν θεῶν συνοικειοῦσιν.

Ovidii locum (Metam. IX. 665) jam supra laudavi. Lucanus Anubidem significat, ubi dicit (Pharsaliae VIII 832.)

»Semideosque canes et sistra jubentia luctus,
Et quem tu plangens hominem testaris Osirin.«

Insignia, quae ab Apuleio loco nostro tribuuntur Anubidi nempe *caduceus* et *palma*, solita eius insignia sunt: et *caduceus* quidem, quoniam pro Mercurio habetur, *palma* autem quia haec est gestamen eorum qui mortuos efferunt et palma arbor sacra est, quae ab Aegyptiis colebatur. 1) Anubis, palmam et caduceum gerens passim in delineationibus et prostypis conspicitur. In cippo sepulcrali, Romae reperto extra portam Flaminiam (apud Lafaye catal. 112. Annali dell Institut. di corr. arch. di Roma. 1879.) talis Anubis est.

In gemma (apud Winckelmann, P. gr. de Stosch p. 26 No. 106, apud Lafaye catal. 158) Anubis est at cum capite canino, sinistra caduceum, dextra palmam gerens.

Quomodo Anubis hic *pedibus humanis incedere* dici possit, sine dubio colligere possumus ex narratione, quae invenitur apud Valerium Maximum VII 3. 8: »M. Volusius [post necem Julii Caesaris] aedilis plebis, proscriptus, assumpto Isiaco habitu,

---

1) Maspero, pag. 178.

per itinera viasque publicas stipem petens, quisnam revera esset occurrentes *dignoscere* passus non est." Qui hoc efficere potuerit (nempe ut non dignosceretur) nisi caput tectum habuerit? Neque lintea vestis, neque caput rasum, neque sistrum hoc efficiunt. Caput eius igitur Anubidis capite, id est canino capite, tectum erat. Ita sine dubio intellegenda sunt quae de Commodo narrantur in euis vita, ab Aelio Lampridio conscripta: (Hist-Aug.) cap. 9. »Cum Anubin portaret, capita Isiacorum graviter obtundebat ore simulacri.«

Commodus igitur furore captus, cum in pompa Anubidis capite caput obvolutum haberet, circumibat et caeteros cultores obtundebat.«

Eadem res narratur in vita Pescennii Nigri ab Aelio Spartiano descripta cap. 9. »Hunc (Pescennium) in Commodianis hortis, in porticu curva, pictum de musivo inter Commodi amicissimos videmus, sacra Isidis ferentem: quibus Commodus adeo deditus fuit ut et caput raderet et Anubin portaret et pausas ederet.« (cf. vit. Commodi cap. IX. 4.)

Quartus locus, ubi hoc de Commodo narretur, est vita Caracalli ab Aelio Spartiano conscripta cap. IX: »cum Antoninus Commodus ita ea celebraverit ut et Anubin portaret, et pausas ederet. cf. Rénier. Inscriptions Africaines 4099.

II. De Isidis Bove.

Post Anubin Isidis simulacrum in pompa conspicitur, sed non tale cui mulieres speculis (uti cap VIII dictum est) obvium ministerium commonstrarent. Est enim Bos. Sed aliunde scimus et bovem Isidi sacram esse et pro Isidis simulacro haberi.

Clemens Alexandr. Stromat. Lib V. c. 7. 611 vacca est: „*σύμβολον γῆς τε αὐτῆς καὶ γεωργίας καὶ τροφῆς*.

Wiedemann ad Herod. II. 261, 482 narrat illo festo, quo Osiridis Mors lugetur mense Athyr, vaccam, atram byssinam vestem indutam per Solis Aedem circumferri, qua significaretur Isis mortuum maritum quaerens.

Plutarchus idem narrat de eo festo: cap. 39 *διὸ μηνὸς Ἀθὺρ ἀφανισθῆναι τὸν Ὄσιριν λέγουσιν. — — οἱ ἱερεῖς ἄλλα τε δρῶσι σκυθρωπά, καὶ βοῦν διάχρυσον ἱματίῳ μέλανι βυσσίνῳ περιβάλλοντες ἐπὶ πένθει τῆς θεοῦ δεικνύουσι (βοῦν γὰρ Ἴσιδος εἰκόνα καὶ γῆν νομίζουσιν).*

Bos etiam sacra erat deae Hathor et haec dea etiam sub specie bovis fingebatur (vid. Maspéro, hist. des Peuples de l'Orient pag. 177) ubi et videas Isidem-Hathor capite vaccino sed corpore humano (cf. Mariette Musée de Boulac pl. 5 No. 167) et »Bonam Vaccam Hathor«, Leemans, Musée de Leide III pl. XII.

III. De cista.

(ibid. 20.) *Cista* haec, quae etiam in Cereris mysteriis partes agit, nominatur a Tibullo I. VII. 47.

»Et Tyriae vestes, et dulcis tibia cantu,
Et levis occultis *conscia cista sacris.*«

Plutarchus ubi describit quid faciant sacerdotes cum Osirin interemptum quaerunt: (c. 39. c.) *τῇ δ᾽ ἐνάτῃ ἐπὶ δέκα νυκτὸς ἐπὶ θάλασσαν κατίασι, καὶ τὴν ἱερὰν κίστην οἱ στολισταὶ καὶ οἱ ἱερεῖς ἐκφέρουσι, χρυσοῦν ἐντὸς ἔχουσαν κιβώτιον, εἰς ὃ ποτίμου λαβόντες ὕδατος ἐγχέουσι, καὶ γίνεται κραυγὴ τῶν παρόντων ὡς εὑρημένου τοῦ Ὀσίριδος, εἶτα γῆν κάρπιμον φυρῶσι τῷ ὕδατι, καὶ συμμίξαντες ἀρώματα καὶ θυμιάματα τῶν πολυτελῶν, ἀναπλάττουσι μηνοειδὲς ἀγαλμάτιον, καὶ τοῦτο στολίζουσι καὶ κοσμοῦσιν, ἐμφαίνοντες ὅτι γῆς οὐσίαν καὶ ὕδατος τοὺς θεοὺς τούτους νομίζουσι.* —

Fortassis etiam alio loco Plutarchus (c. III.) de hac cista agit dicens *οὗτοι δέ εἰσιν οἱ τὸν ἱερὸν λόγον περὶ θεῶν, πάσης καθαρεύοντα δεισιδαιμονίας καὶ περιεργίας, ἐν τῇ ψυχῇ φέροντες ὥσπερ ἐν κίστῃ καὶ περιστέλλοντες, τὰ μὲν μέλανα καὶ σκιώδη τὰ δε φανερὰ καὶ λαμπρὰ τῆς περὶ θεῶν ὑποδηλοῦντες οἰήσεως, οἷα καὶ περὶ τὴν ἐσθῆτα τὴν ἱερὰν ἀποφαίνεται.*

Cista mystica, circa quam serpens se volvit, conspicitur in cippo sepulcrali, qui est in museo Neapolitano. cf. Mommsen. Inscr. regni Neapolit. Latinae 6944. Lafaye cat. 113.) In ara marmorea,

cuius inscr. videre est C. I. L. VII. 346 et quam supra laudavi, conspicitur (in fronte) cista mystica, cuius operculum serpens cingit.

IV. De Urnula.

Mirum est quod in huius pompae descriptione nusquam Osiridis mentio fit, praesertim cum haec urnula magis ad Osiridem quam ad Isin pertinere videatur. Non enim dubitandum est quin illud vas sit quod Plutarchus dicit Osiridis emanationem continere et semper sacris praeferri. cap. 36. *Οὐ μόνον δὲ τὸν Νεῖλον ἀλλὰ πᾶν ὑγρὸν ἁπλῶς Ὀσίριδος ἀπορροὴν καλοῦσι, καὶ τῶν ἱερῶν ἀεὶ προπομπεύει τὸ ὑδρεῖον ἐπὶ τιμῇ τοῦ θεοῦ.* Osiridis autem emanatio non tantum in Nili aqua et omni humore agnoscitur sed mundum universum eius emanationem et simulacrum esse dicit Plutarchus c. 49. *ἐν μὲν οὖν τῇ ψυχῇ νοῦς καὶ λόγος ὁ τῶν ἀρίστων πάντων ἡγεμὼν καὶ κύριος Ὄσιρίς ἐστιν, ἐν δὲ γῇ καὶ πνεύματι καὶ ὕδατι καὶ οὐρανῷ καὶ ἄστροις τὸ τεταγμένον καὶ καθεστηκὸς καὶ ὑγιαῖνον ὥραις καὶ κράσεσι καὶ περιοδοις Ὀσίριδος ἀπορροὴ καὶ εἰκὼν ἐμφαινομένη.*

Huius urnulae mentionem quoque facit Vitruvius in praefatione ad Lib. VIII. § 3: »Ex eo etiam qui sacerdotia gerunt moribus Aegyptiorum ostendunt omnes res e liquoris potestate consistere: itaque

cum hydria aquae ad templum aedemque casta religione refertur, tunc in terra procumbentes, manibus ad caelum sublatis inventionibus gratias agunt divinae benignitatis."

Descriptio urnulae, quam apud Apuleium legimus, mire congruit cum iis, quae nos docent res antiquae huiusce generis repertae. In collectione Blundelli (Clarac, Musée de Sc. pl. 988, no. 2588 B.) extat statua sacerdotis, quae ambabus manibus tenet hydriam, cuius ansa formam serpentis habet. (Lafaye cat. 81) sed dubitatur num genuina sit.

Alia sacerdotis statua est, urnulam tenentis. Haec statua olim vel Psyche vel Virgo Vestalis vel una ex Danai filiis appellata fuerat, sed a Böttigero et Visconti, recte, uti videtur, sacerdos Isiaca appellata est. (Böttiger. Isis Vesper. nota 17 Visconti Opere Varie t. IV p. 324 pl. XXVII Lafaye catal. 89.)

In prostypo, quod Lafaye (catal. 118) describit, et in quo pompa Isiaca ficta est, sacerdos est qui tenet urnulam, paulum quidem ab nostra diversam, attamen ad eundem usum, uti videtur, destinatam. Eius ansula cum canali conjuncta est et in junctura *loto* ornata est.

In pictura in pariete picta, Herculanei inventa, (Helbig IIII) quae extat in Museo Neapolitano sacerdos urnulam tenet. In nummo Alexandrino

(Lafaye cat. 3; Mionnet t. VI p. 48 n°. 31) urnula conspicitur, *ansa* et *longo canali* praedita.

In pictura in pariete picta, Stabiis inventa, et quae in Museo Neapolitano extat (Helbig 1098 Lafaye Catal. 227) sacerdos extat qui ambabus manibus tenet urnulam longo canali ornatam.

V. De Aspide.

Aspis, quae hic et cap. IV pag. 254, 24, nominatur *οὐραῖος* est sive *βασιλίσκος* (Egyptiace: ârà), Isidi sacra. Hac aspide Harpocrates Typhonem aggressus est.

Plutarchus narrat Aegyptios serpentem astris comparare, quod sine artubus progrediatur neque senectuti obnoxia sit. c. 74 *ἀσπίδα δὲ ὡς ἀγήρω καὶ χρωμένην κινήσεσιν ἀνοργάνοις μετ᾽ εὐπετείας καὶ ὑγρότητος ἄστρῳ προσείκασαν.*

Haec aspis ubique conspicitur, praesertim in coronis, urnis, vasculis deae (vid. ad. cap. IV).

Juvenalis in eius mentionem incidit in Sat. VI. 537.

»Et movisse caput visa est argentea serpens.«

Adnotatum video apud Parthey ad Plutarch. pag. 266. in Aegypto sedecim genera serpentium esse, eam quae *θέρμουθις* dicitur Isidi sacram esse et

ubique in aedibus sacris ali et quidem *στέατι μοσχείῳ* (Aelian. X. 31). Herod. II. 74. *εἰσὶ δὲ περὶ Θήβας ἱροὶ ὄφιες ἀνθρώπων οὐδαμῶς δηλήμονες, οἳ μεγέθει ἐόντες σμικροὶ δύο κέρεα φορέουσι πεφυκότα ἐξ ἄκρης τῆς κεφαλῆς, τοὺς θάπτουσι ἀποθανόντας ἐν τῷ ἱρῷ τοῦ Διός.* Et corpora serpentium condita inventa sunt (vid. Wilk. IV. p. 248. V 124, 242.

Adnotatio ad cap. X VI. pag. 264.7. ibidem simulacris rite dispositis.

Isiacus ritus est, in pompis »pausam edere« i. e. certis stationibus simulacra quae cirumferuntur, disponere. »Pausam edere« legitur apud Aelium Lampridium in vita Caracalli cap. IX: »— cum Antoninus Commodus ita ea celebraverit ut et Anubin portaret et pausas ederet.« Inde sacerdotes etiam »pausarii« dicuntur. C. I. L. VI 348.

Pro. Salute. Domus. Augustae
Ex corpore Pausariorum. Et
Argentariorum. Isidi
Et. Osiri. Mansionem
Aedificavimus.

C. I. L. XII 734. in sepulcro pausarii in tabula, litteris malis Arelatae in Museo haec sunt:

Luna | D. M. | Maximini | Festi | Pausr | Isidis | T. P. Arel | Collegae.

Ibi haec adnotavit Mommsen: »4. t(itulum) p(osuerunt) Arel(atenses) Villef.; ego explere malim« p(ausarii) Arel(atenses).« quamquam quid littera T significet, non expedio, nam de supplemento t(empli) vix cogitari licet, cf. tamen supra n. 714. 11 (pastop)hororum t(empli?) I(sidis?)

Ad cap. XVI. pag. 265, 11. navem nuncupavit.

i. e. Sacerdos navi nomen Isidi indidit.

Crebro in inscriptionibus mentio fit navium, quae ex Iside nomen habent.

I. R. N. 2807.

D. M.
TI. PETRONI CELERIS
NAT. ALEX. EX. $\overline{\text{III}}$ ISIDE
VIX. ANN. XL. MIL. ANN. XVII
TITIVS AQVILINVS EPIDIVS
PANSA $\overline{\text{III}}$ ISID. H. B. M.
FECERVNT.

Ibid. 2810 in agro Neapolitano.

DIS. MANIB.
C. RAVONIVS CE
LER QVI ET BATO SCE
NOBARBI. NATIONE M . . . . .
MANIPL. EX III ISID . . . . . .
L. AELIVS . . . .
VENER . . . .

C. I. L. III 3.

Jovi Soli Optimo Maximo
Sarapidi et Omnibus Diis et
Imperatori Caesari Nervae
Trajano Aug. Germanico Dacico N(ostro) 1)
Epictetus Libertus Tabellarius
Curam agente operis Dionysio Sostra-
ti filio Alexandrino Gubernatore
Navis Parasemo Isopharia T. Cl(audii) Theonis.

Ubi Mommsen haec adnotat : » *Nostrum* Epictetus dixit imperatorem utpote patronum ; navis cuius gubernator Dionysius fuit, T. vel potius Ti. Claudii Theonis fuit nomenque habuit ab Iside Pharia.

1) Anno p. Chr. 104/114.

ADNOTATIO

ad Cap. VIII (pag. 265. 14)

τὰ πλοιαφέσια.

In codice legitur »ita aoiaΕΦΕcia«, quod editores conjectando mutaverant in „*Λαοῖς ἄφεσις*" quam conjecturam tutati sunt collatis verbis conceptis: »Ite, missa est», quae in ritu Christianorum usitata sunt.

Primus v. d. Vliet edidit *τὰ πλοιαφέσια*. Vocabulum *πλοιαφέσια* Mommsenus (C. I. L. I 387) restituit ex Johannis Laurentii Lydi Libro de Men sibus IV, 32 (45). *Τῇ πρὸ τριῶν-Νωνῶν Μαρτίων ὁ πλοῦς τῆς Ἴσιδος ἐπετελεῖτο, ὃν ἔτι καὶ νῦν τελοῦντες καλοῦσι πλοιαφέσια. ἡ δὲ Ἶσις τῇ Αἰγυπτίων φωνῇ παλαιά σημαίνεται, τοῦτ᾽ εστιν ἡ σελήνη καὶ προσηκόντως αὐτὴν τιμῶσιν ἐναρχόμενοι τῶν θαλαττίων ὁδῶν.*

Verba „*ὁ πλοῦς τῆς Ἴσιδος*", congruunt nomini

Latino, quod apud Apuleium non legitur »Isidis Navigium«, quo nomine vulgo hoc festum notum est et quo in fastos publicos Romanos receptum est, ut apparet ex tribus illis fastis qui typis expressi sunt in Corpore Inscr. Roman. I. nempe pag. 387 in Commentariis Diurnis:

III NON. MART.

Isidis Navigium *Rust. Phil.*;

pag. 358 in Menologio rustico Colotiano sub Piscibus vs. 15, et eadem pagina in Menologio Rustico Vallensi sub Piscibus versiculis 17 et 18.

Eodem nomine nuncupatur a Lactantio I, 11. 21 »Certus dies habetur in fastis, quo *Isidis navigium* celebratur.« Ausonius vero appellat *Natalem ratis Isiacae* (de feriis Latinis 24). *Natalis* navigationis autem appellatur a Vegetio V. 9: »Ex die III. Id. Nov. usque in diem VI id. Mart. maria clauduntur; — post natalem vero ut ita dicam navigationis, qui solemni certamine publicoque spectaculo multarum gentium celebratur — maria temptantur«.

De Isidis Navigio etam titulus est carminis, quod invenitur in Anthologia latina fasc. II Nr. 743 (pag. 205 edit. Riese).

»Isi o fruge nova quae nunc dignata videri
Plena nec ad Cereris munera poscis opem,
Nam tu nostra dea es nec te deus ipse tacendi
Abnegat, expertus quis tua vela ferat:

Namque tibi Zephyrus favet ac Cyllenius ales
Ne nostra referas de regione pedem."

Ex crebris festis, quae Isiaci celebrare soliti erant, quaeque inter publica festa (vid. ad cap. XXIV), recepta erant, hoc solum est, cuius ab Apuleio mentio fit, quamvis Undecimus liber Metamorphoseon integri fere anni spatium contineat. Si non primum, praecipuum tamen locum inter festa Alexandria avecta obtinuisse videtur. Nondum ab antiquis Aegyptiis agebatur, neque ab illis Isidi quicquam cum mari commune fuisse credebatur, cum illi omnia bona, omnia fausta Nilo suo et telluri, Nili uxori, tribuerent, Nilum ipsum in mare evanescere viderent.

Quod etiam videre licet ex Plutarchi cap. 32.

Οὕτω παρ' Αἰγυπτίοις Νεῖλον εἶναι τὸν Ὄσιριν, Ἴσιδι συνόντα τῇ γῇ, Τυφῶνα δὲ τὴν θάλασσαν, εἰς ἣν ὁ Νεῖλος ἐμπίπτων ἀφανίζεται καὶ διασπᾶται, πλὴν ὅσον ἡ γῆ μέρος ἀναλαμβάνουσα καὶ δεχομένη γίνεται γόνιμος ὑπ' αὐτοῦ — — — διὸ τήν τε θάλασσαν οἱ ἱερεῖς ἀφοσιοῦνται, καὶ τὸν ἅλα Τυφῶνος ἀφρὸν καλοῦσι, καὶ τῶν ἀπαγορευομένων ἕν ἐστιν αὐτοῖς, ἐπὶ τραπέζης ἅλα μὴ προτίθεσθαι· καὶ κυβερνήτας οὐ προσαγορεύουσιν, ὅτι χρῶνται θαλάττῃ καὶ τὸν βίον ἀπὸ τῆς θαλάττης ἔχουσιν. — — — δόξει δὲ καὶ τὸ ὑπὸ τῶν Πυθαγορικῶν λεγόμενον, ὡς ἡ θάλαττα Κρόνου δάκρυόν ἐστι, αἰνίττεσθαι τὸ μὴ καθαρὸν μηδὲ σύμφυλον αὐτῆς.

A Graecis Isis semper habita est domina maris et ventorum. Sic apud Lucianum Jupiter imperat Mercurio ut Io mari in Aegyptum vehat efficiatque ut ea ibi Isis fiat: pergit inde Jupiter dicere „*καὶ [ἡ Ἰὼ] τὸ λοιπὸν ἔστω θεὸς τοῖς ἐκεῖ καὶ τὸν Νεῖλον ἀναγέτω καὶ τοὺς ἀνέμους ἐπιπεμπέτω καὶ σωζέτω τοὺς πλέοντας* (deor. dial. IV.); ibidem de Io dea facta Aegypti Zephyrus: *καὶ ἄρξει γάρ*, inquit, *ὡς Ἑρμῆς ἔφη, τῶν πλεόντων, καὶ ἡμῶν* (i.e. ventorum) *ἔσται δέσποινα, ὅντινα ἂν ἡμῶν ἐθελήσοι ἐκπέμψαι ἢ κωλύσαι ἐπιπνεῖν.* In hymno *Chio* (C.I. Gr. 3724) Isis filia est Urani, Noctis filii, qui eam in aequore procreaverit (uti etiam in antiqua religione Aegyptia nata est ex Aqua Tenebrosa)

Σή τε, μάκαιρα θεά, μήτηρ πολυώνυμος Ἶσις,
ἣν τέκεν Οὐρανὸς Εὐφρονίδης ἐπὶ κύμασι πόντου
μαρμαρέοις, θρέψεν δ' Ἔρεβος φῶς πᾶσι βροτοῖσι,
πρεσβίστην μακάρων ἐν Ὀλύμπῳ σκῆπτρον ἔχουσαν
καὶ γαίης πάσης καὶ πόντου δῖαν ἄνασσαν.

In Hymno Ioo apud Kaibel Epigr. Gr. 1028 vs. 5—6 (Weil)).

ΕΙΛΕΡΓΕ — *ἐγω ΘΑΛΑΙ*
quod Smynlis legit — *ΘΑΛΑΣ*
[ΙΛΕΡΓΛΕΥΙΑ

sive cum Weilio legendum est (Mitt. d. arch. Inst. Ath. 2. p. 190) *τὴν θάλασσαν πρῶτον ἐπέρασα* sive cum Franckel (Arch. Z. 1878 p. 131 vs. 15—16) *ἐγὼ θαλάσσια ἔργα εὔ[δ]ια — ἐποίησα.*

In hymno Andrio (ed. Abel pag. 301 vs. 34—35) Isis ita loquitur

ἅδε θαλάσσας
πρᾶτον ἐν ἀνθρώποισι περάσιμον ἤνυσα μόχθον

et vs. 143 — 155.

πλωτὰ δὲ φιλεύδιος Ἀμφιτρίτα
νηυσὶ μελαμπρώροισιν ὕπαὶ παχνώδεος αὐχμῶ
ἁνίκα μειδάμων, ἱλαρὰν ἐρύθροισα παρειάν,
ἀμπετάσω Τηθὺν γλαυκώλενον· ἐν δ' ἀπεράτοις
βένθεσιν ἀστιβέα πλαγκτὰν ὁδόν, εὖτέ με θυμὸς
κορθύσῃ, κλονέω· παντᾷ δὲ μελάνθεϊ ῥοίζῳ.
σπερχόμενος βαρὺ πόντος ἐνὶ σπήλυγξι βαθείαις
μυκᾶι ἐξ ἀδύτων· πράτα δ' ἐπὶ σέλματι δούρων
οἶδμα καθιππεύοισα· δαμαζομένας δε θαλάσσας
ὠκυπόροις ἐλάταις ἑλικὰν ἔστασε χορείαν
Δωρίδος εὐλοχία· περιπάλλετο δ' ἐν φρεσὶ θάμβος
εἰρεσίαν ἀδάητον ἐν ὄθμασι παπταινοίσαις.

In Epigrammate Philippi Thessalonicensis Anthol. Gr. (ed. Jacob 2. pag. 197 Nr. 10) ita Isidem alloquitur Damis.

εἰ δ' ὡς ἐκ πελάγους ἐρρύσαο Δᾶμιν, ἄνασσα
κἠκ πενίης, θύσει χρυσόκερων κεμάδα.

Statius quoque Isidem invocat ut faventer amicum, Metium Celerem, mari ducat (Silv. III 2 vs. 101 sqq.).

»Isi Phoroneis quondam stabulata sub antris,
Nunc regina Phari, numenque Orientis anheli,
Excipe multisono puppem Mareotida sistro;
Ac juvenem egregium, Latius cui ductor Eoa

Signa, Palaestinasque dedit frenare cohortes,
Ipsa manu placida per limina festa, sacrosque
Duc portus, urbesque tuas."

Quot tabulis votivis templa Isidis ornata essent testatur Juvenalis qui inde jocose colligit pictores ab Iside pasci: (XII 22 sqq.)

»Genus ecce aliud discriminis: audi
Et miserere iterum: quamquam sint cetera sortis
Eiusdem: pars dira quidem sed cognita multis
Et quam votiva testantur fana tabella
Plurima. Pictores quis nescit ab Iside pasci?"

Festum hoc Alexandriae ortum, deinde per populos mare accolentes quique ideo Isidis potentiam praecipue ad mare referebant, vulgatum esse videtur. Sed eam Alexandriae actam esse nullo testimonio probatur. Mirum est eam nondum nominari a Plutarcho, cum cetera festa Alexandrina ample memoret. Sed apud eum aliud festum Aegyptiacum invenimus unde hoc forsitan ortum sit. Narrat enim veris initium celebrari primo die mensis Phanemoth (mensis Martii) quo die Osiris inire Lunam putetur: cap. 43. 6. *ἔτι δὲ τῇ νουμηνίᾳ τοῦ Φανεμὼθ μηνὸς ἑορτὴν ἄγουσιν, ἔμβασιν Ὀσίριδος εἰς τὴν σελήνην ὀνομάζοντες, ἐάρος ἀρχὴν, οὖσαν, οὕτω τὴν Ὀσίριδος δύναμιν ἐν τῇ σεληνῃ τίθε νται, καὶ τὴν Ἶσιν αὐτῷ γένεσιν οὖσαν συνεῖναι λέγουσιν.*

Cum inter publicas ferias populi Romani receptum

sit Isidis navigium, facile credere possumus ubique per litora imperii Romani celebratum fuisse, sed exceptis scriptorum locis supra laudatis admodum rara vestigia sunt huius sollemnitatis celebratae. Attamen vestigium quoddam agnoscere mihi videor in inscriptione Ephesi haud procul ab arce inventa, ubi nautarum quorundam mentio fit, qui nautae (*ναυβατοῦντες*) fortasse collegium erant sacerdotum, aut certe initiatorum, qui Isidis sacra ad mare pertinentia colebant. Inscriptio exstat in G. I. G. 2955

> *ἐπὶ πρυτάνεως Τι*[*β*]. *Κλαυδίου*
> *Τιτιανοῦ Δημοστράτου υἱοῦ ἀρχιερέως*
> *ἱερατεύοντος Σοσσιανοῦ, Μ. Πομπώνιος*
> *Λατεῖνος ἀνέθηκεν Ἴσιδι καὶ Σερά*
> *πιδι φιάλην καὶ σπονδεῖον* [*ἀργυρᾶ*?]
> *ναυβατούντων Λυκίδ*[ου], *Χαριδήμου*
> *τοῦ Χαριδήμου*? et fortasse plura.

ubi Boekh haec adnotat: „*Ναυβατοῦντες* putantur esse qui navem conscenderint peregre profecti: mihi videntur ministri sacrorum nescio qui fuisse, quos non offendit in fine tituli addi, quum ii, qui initio positi sunt, eponymi sint.«

Quod vero attinet ad ipsam navem, quae quasi devovetur et pelago redditur, huic devotioni comparanda sunt ea quae Pausanias XXXII. 13 narrat de alio festo Isidis, quo cultores tentoria, sacris et donis referta, incenderent et ita deae

Isidi devoverent. Mare hieme claudi etiam apud Hesiodum est Op. et D. 618—622.

Silvestre de Sacy ad Sainte Croix II. 168 narrat adhuc per regiones quas nos Levantem dicimus tale festum, quale erat Isidis Navigium, celebrari. Laudat locum ex epistolis Augusti Gislen. Busbeq De Legat. Turc. (epist. 3 p. 160 ed. Hanov. 1629) »Cum Graecorum sacerdotibus mos sit, certo veris tempore aquas consecrando mare *Clausum* veluti *Reserare*, ante quod tempus non facile se committant fluctibus, ab ea caeremonia nec Turcae absunt. Paratis ergo rebus ad navigandum, subinde ad Graecos accedunt, percunctanturque an nondum etiam sit aquis dictum bene. Quod si negent, navigationem differunt; si factum respondeant, navis conscendunt ac navigant".

Ad has caeremonias sine dubio referenda est illa precatio, quae invenitur in omnibus Ritualibus Ecclesiae Graecae inter eas quae pronuntiantur quando patriarcho aut episcopo placet.

Huius precationis titulus est *Εὐχὴ ἐπὶ μέλλοντος πλέειν, γινομένη ἐν τῷ δρόμωνι ὑπὸ τοῦ πατριάρχου*, et incipit ita: *Δέσποτα κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ καταξιώσας συμπλεῦσαι τοῖς ἁγίοις μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις σου, καί ἐπιτιμήσας τῷ λαίλαπι τῶν ἀνέμων*; et finis est: *ἡ τοιαύτη εὐχὴ λέγετιαι καὶ ἐπὶ πλοίου μέλλοντος πλεῖν.* Vid. Goar. *Εὐχολογιον* seu Ritual. Graec. Lutet. Paris 1647

Fol. p. 873. Etiam in *Fastis Turcicis* semper dies indicatur, quo navigatio ineunda, quo cessare debeat (Matth. Fred. Beck. Ephem. Persarum Lib. IV cap. 2. p. 44.). Idem indicatur *in Fastis Arabicis*. Sollemnitas qua Venetiae quotannis Dux, qui reipublicae praeerat triremi mari ingressus matrimonium Venetiae cum mari celebrare solebat, nobis Isidis Navigium in memoriam revocat.

ADNOTATIO

DE TEMPLO ISIDIS CAMPENSIS

ad cap. XXVI. pag. 273. 12.

Summo numini reginae Isidis quae de templi situ sumpto nomine Campensis summa cum veneratione propitiatur.

Hoc templum cum ex historia et auctoribus antiquis tum ex recentioribus investigationibus notum est. Erat in Campo Martio prope Septa Iulia in Regione IX uti est apud Juvenalem VI 525.

»Si candida jusserit Iö
Ibit ad Aegypti finem, calidaque petitas
A Meroë portabit aquas, ut spargat in aede
Isidis, antiquo quae proxima surgit ovili."

Neronis temporibus hoc templum exstructum esse videtur. Tum enim Isis inter deos Romanos recepta est ut dicit Lucanus: VIII 831.

»Nos in templa tuam Romana recepimus Isin
Semideosque canes, et sistra jubentia luctus
Et quem tu plangens hominem testaris Osirin."

Anno octogesimo post Partum Virginis hoc

templum incendio devastatum est testante Dione Cassio LXVI. 24.

Domitianus novas aedes aedificandas curavit et dedicavit anno 92. (Chron. Vienn. 8. Jordan. Topogr. II. p. 32. et Cassiodorus sub hoc anno.)

Fortassis etiam a Commodo ornata est haec aedes, qui tantopere Isin coluerit testante Aelio Lampridio in Vita Commodi Antonini IX. »Sacra Isidis coluit, ut et caput raderet et Anubin portaret.«

Alexander Severus largissime hanc aedem ornavit testante Aelio Spartiano in vita eius principis XXVI. »Basilicam Alexandrinam instituerat inter Campum Martium et Septa Agrippiana, in lato pedum centum, in longo pedum mille, ita ut tota columnis penderet." Mox addit: »Isium et Serapium decenter ornavit, signis, et deliacis et omnibus mysticis.«

Quid postea de hac aede factum sit, ignoratur. Ex quibusdam reliquiis, quae ad cineres erant redactae, colligitur eam arsisse. Omne hoc templum uti erat, integris columnis, integris parietibus et porticibus ex Aegypto et Sai quidem asportatum erat. 1)

Hoc saeculo magna copia antiquitatum Aegyptiacarum ibi eruta est, quas tamen enumerare nihil ad Apuleium attinet.

---

1) Vide de hoc templo imprimis R. Lanciani, Pagan and Chistian Rome, London 1895 pag. 92—98.

ADNOTATIO

DE TEMPLO CENCHREANO

ad Cap. XVII et, XXIII, XXIIII.

Cenchreis Isidis templum fuisse etiam Pausanias testatur II. 2, 3 *ἐν δὲ Κεγχρείαις — — — κατὰ δὲ τὸ ἕτερον πέρας τοῦ λιμένος Ἀσκληπιοῦ καὶ Ἴσιδος ἱερά·* Nulla huius templi vestigia supersunt; igitur quale fuerit, non facile est conjicere. Attamen indiciis, quae ipse Apuleius subdit, cum reliquiis cum Pompeianae Isidis aedis tum Eleusinii Cereris templi, compositis, nonnulla de eo statuere poterimus.

Primum videndum est quid Apuleius ipse indicet.

Aedes est *amplissima* (XXII. 269. 22) Pro foribus *suggestus* est (XVII. 265. 10) sed hic fortassis precarius erat, ad Navigii festum tantum exstructus. Intra conseptum templi tantum est spatii, ubi aedes conducere, laremque temporarium sibi constituere possit Lucius (XIX. 266 9). Hic sacerdotes contubernia (ibid. 10) sua habebant, itaque habitabant. Hae aedes diversae erant ab ipso templo; Lucio

enim prius matutinae apertiones opperiendae erant, quam introire poterat (XX. 267. 6). Postquam introiit, adhuc velis candentibus a deae conspectu prohibetur (ibid. 7). Reductis velis tandem conspicere deam et adprecari potest. Est cubiculum, deae ubi simulacra, quae in pompa circumferebantur, disponantur pompa finita (XVII. 6). Cubiculum illud introire tantum iis licet, qui pridem venerandis penetralibus fuerant initiati (ibid.). Duo sunt simulacra alterum ante fores, gradibus adhaerens, argento formatum (XVII. 19) alterum in ipso aedis sacrae meditullio (XXIV. 7). Ante hoc simulacrum tribunal ligneum est constitutum (ibid.), de quo infra plura.

Intra conseptum aedis etiam balneae sunt, nam Lucius ante quam sacris initiatur, sueto lavacro traditur in proximis balneis (XXIII. 270. 3.) Est etiam fons penetralis (XX. 267. 11) unde sacerdos laticem spondeo petat.

Quibus in rebus Iseum Pompeianum, quod ample et apud Lafaye 1) et apud Overbeckium 2) descriptum est, cum hoc Cenchreano vel potius Apuleiano templo congruit?

Templum Pompeianum situm est in area quadrata,

---

1) Libro laudato pag. 173—179.

2) Pompei pag. 89—93.


muro [περιβολῳ] ex tribus partibus ab aedificiis adiacentibus, unaa parte a via publica separata. Area continet aedificia, qualia et Apuleius nominare videtur cum dicat Lucium intra templi conseptum aedes conduxisse (XVIII. 266. 8). Haec sunt aedificia quae una pastophorium dicebantur uti fit in inscriptione (C. I. G. 2297) supra laudata.


Ab altera parte area continet aedificium vastum quod Overbeck et Lafaye jure Scholam dixisse videntur. Suspicantur ibi Isiacorum conciliabula habita esse ; epulas habitas esse testantur reliquiae epularum ibi inventa. In tali igitur schola *suaves epulae* et *faceta convivia* et *jentaculum religiosum* (XXIV. 271. 22—24) habita sunt.

Quae autem Eleusini inventa sunt, docere nos videntur de *tribunali ligneo* (XXIV. 271. 8) quod Lucius, postquam initiatus est, superstitit. Tribunal hoc diversum est ab suggestu illo, cuius mentio facta est cap. XVII : suggestus enim ille extra fores erat, hoc tribunal in ipso aedis meditullio. Talis tribunalis vestigia inventa sunt in Cereris templo Eleusinio, de quibus vestigiis quaedam conjecit A. E. J. Holwerda, et conjecturas suas concepit in dissertatione quam publici juris fecit in Actis Academiae Regiae anni 1895 pag. 251—280. Eleusini nempe fundamenta inventa sunt sex columnarum quas patet cum quatuordecim aliis systema viginti

columnarum sive quattuor ordines quinarum columnarum effecisse. Hoc systema in ipso aedis meditullio positum muros exteriores templi non attingebat, immo vero tanta intervalla ab omni parte intererant inter hoc systema et muros ut tria milia spectatorum capere possent. Quae melius ex hisce delineationibus conspici possunt.

(Sex columnae, quas circulis circumdedi, eae sunt quarum adhuc fundamenta extant.





Templi intersectio.

Ex Plutarchi vitae Periclis capite XIII patet columnis his, quae solo nitebantur, epistylia et diazoma imposita fuisse. Diazomati illi alterae viginti columnae impositae erant. Intra columnas inferiores muri exstructi erant, qui epistylia illa

lapidea et diazomatis marginem exteriorem, quae item lapidea erat, sustinerent. Diazoma quod ipsum ligneum erat, tribunal quoddam efficiebat. Hoc *μέγαρον* sive *ἀνάκτορον* recte dicas. Idem scena vel *ὑποσκήνιον* vero nomine nuncupatur. Conclave, quod subter tribunal erat, sacerdotibus receptaculo erat unde in scenam emergere poterant ad sacra spectaculaet adres sacras monstrandas. Etiam scena illa velis obductis (uti ex nostro Apulei loco patet, vela haec inter columnas suspensa esse putanda sunt) spectatorum oculis substrahi poterant. Igitur nihil obstabat quin (ut apud Aristophanem in Nubibus vs. 302 legimus) aedes mystica monstraretur. Res secretae latere poterant aut in scena, velis obductis, aut in conclavi subter scenam.

Nunc vide quam claram lucem haec, quam Holwerdae debemus, templi Eleusinii delineatio nostro loco affundat.

Ad illius enim *μεγάρου* sivi *ἀνακτόρου* exemplum sine dubio hoc tribunal in Aede Cenchreana exstructum erat. Quod hoc fortasse totum ligneum, illud Eleusinium praecipue ex lapide constructum erat, nihil ad universam similitudinem facit, praesertim quum illud Eleusineum maximum Graeciae telesterium fuerit, hoc autem, quamvis vastum aedificium, minore sumptu constructum fuisse facile conjici possit.

Illud conclave etiam est quod Apuleius dicit *cubiculum deae*, (XVII. 265. 6) *operta adyti* (XXII. 269. 23) *sacrarii penetralia* (XXIII. 270. 17).

Etiam in templis Aegyptiis aediculae eae, quae in pompis tantum efferebantur, adservabantur *ἐν τῷ ἀδύτῳ* sive *ἀβάτῳ* (Diod. Sicul. III. 6) quod sacerdotibus tantum adire licebat. Diod. Sicul I. 97.

Hesychius *τὸ ἀπόκρυφον μέρος τοῦ ἱεροῦ* dicit.

Inscr. Ros. vr 42 *καὶ καθιδρύσαι ἐν τοῖς ἀδύοοις μετα τῶν ἄλλων ναῶν.*

In conclavi, quod subter tribunal erat, suspicor Lucium Isidis mysteriis initiatum esse. Ibi ea erant quae videre nemini nisi initiato licebat 1). Vespera igitur, ut superiore capite (cap. XXIII) dictum est, in templum introiit Lucius. In templi spatio, quod circumjacet conclave, honoratus est muneribus turbae. Tum ab sacerdote solus deductus est in penetralia, i.e. in illud conclave. Noctem ibi permansit. Quae ibi vidit non narrat, neque fas erat narrari. Cum *mane factum esset* (cap. XXIIII. 271.3) interiore scala, qua sacerdotes

---

1) Ideo quinque operarii, quibus aditus in ipsum conclave dandus erat, cum opus aliquod ibi perficiendum iis incumberet, sumptibus sacri collegii initiati sunt. Vid Ἐφημερ. ἀρχαιο. 1883 p. 1. No. 1 vs. 24 et Holwerdam l.l.

Etiam Apuleius dicit eos qui simulcra intra cubiculum deae reponant pridem venerandis penetralibus initiatos fuisse.

emergere in scenam soliti erant, in scenam sive tribunal emersit. Sed adhuc, cum vela intra columnas (sive sudes ligneae fuerint) obducta essent, adhuc populum, qui in aede erat, latebat. Tandem cum omnia solemnia perfecta essent, vela reducuntur et Lucius, *ad instar solis exornatus et invicem simulacri constitutus*, populo exspectanti monstratur.

ADNOTATIO.

ad Cap. XXII. pag. 269. 24.

Profert quosdam libros litteris ignorabilibus praenotatos, partim figuris cuiuscemodi animalium concepti sermonis compendiosa verba suggerentes, partim nodosis et in modum rotae tortuosis capreolatimque condensis apicibus a curiosa profanarum lectione munita.

Doctissimus Lugdunensis Musei Conservator P. A. A. Boeser, super hoc loco a me consultus, hanc mihi benigne opinionem communicavit: prioribus verbis »*partim--suggerentes*« hieroglyphicam scripturam significari, posterioribus autem: »*partim--munita*« sine dubio scripturam quae dicitur demoticam indicari.

FINIS.

ADDENDUM

ad pag. 57 »Linea veste uterque sexus vestitur.«

De usu lini apud Aegyptios Apuleius etiam in Libro de Magia cap. XVI haec habet:

»Etiamne cuiquam mirum videri potest, cui sit ulla memoria religionis, hominem tot mysteriis deum conscium quaedam sacrorum crepundia domi adservare, atque ea lineo texto involvere, quod purissimum est rebus divinis velamentum: quippe lana, segnissimi corporis excrementum pecori detracta jam inde Orphei et Pythagorae scitis profanus vestitus est. Sed enim mundissima lini seges inter optimas fruges terra exorta non modo indutui et amictui sanctissimis sacerdotibus sed opertui quoque rebus sacris usurpatur.«

THESES.

I.

Ignis, quem in Aeschyli Agamemnone vs. 22 custos exardescentem videt, non Agamemnonis sed Aegisthi jussu accensus esse putandus est.

II.

Clytaemnestra, quum in eadem fabula vs. 270 in scenam prodeat, conspiratorum turba stipata esse putanda est, qui in scena per totam fabulam manent et quorum uni tribuendi sunt versiculi 363—366, 506 et 507, 618—619, 1522 et 23.

III.

In eadem fabula vs. 1650 et 1653 centurionum cuidam (λοχίτῃ) Aegisthi, tribuendi sunt.

IV.

Errat Allard Pierson quum dicat (Hellas I, het Drama) fabulae illi, quae Supplices dicitur, vix nomen tragoediae esse tribuendum.

V.

Aeschyli fabulae, quae vulgo *'Επτὰ ἐπὶ Θήβας* nuncupatur, non ipse poeta hoc nomen indidit.

VI.

Eiusdem fabula vs. 681 ignorat adhuc Eteocles fratrem inter septem illos viros juratos interesse.

VII.

Eiusdem fabulae vs. 782

κρεισσοτέκνων ὀμμάτων

legendum est

χρυσοτέχνων πωμάτων.

VIII.

In Xenophontis Historia Graeca Lib. III IV. 20.

ἄνω ἤδη ἦ σ α ν

legendum est *ᾖσαν.*

IX.

Apuleii verba, quae leguntur Metam. Lib. XI. cap. VIIII. 258. 22 »aliae *quae* nitentibus speculis pone tergum reversis venienti deae obvium commonstrarent obsequium« perperam explicantur a G. Lafaye (Histoire du Culte des Div. d'Alexandrie, Paris 1884. pag. 122), quasi mulieres ideo specula deae obtenderent, ut dea in speculis illis repercussam pone sequentium cultorum obsequium cernere posset.

X.

In verbis Apuleii, quae leguntur Metam. Lib. XI. cap. XVII. 265. 6 »simulacra spirantia« nihil videndum est nisi imitatio Vergili Aeneidos Lib. VI. 847 »spirantia mollius aere.«

XI.

Tribunal, cuius mentio fit Apuleii Metam. Lib. XXIIII. pag. 271. 8, quamvis ligneum dicatur, constructum fuisse putandum est ad instar tribunalis illius cuius vestigia invenit A. E. J. Holwerda in Cereris templo Eleusinio (vid. Acta Academiae Regiae anni 1895. pag. 251—280.)

XII.

Quod M. Annaeus Lucanus poëta hodie laude et gloria aeternis, quibus dignus est, carere videtur, imprimis Hegeliana philosophia inculpanda est.

XIII.

Vergili Aen. II. 497 »exit« non perfectum sed praesens est.

XIV.

Injuria hodie vulgo perhibetur Lycurgum Spartanum numquam fuisse.

XV.

In rebus enarrandis, quae post urbem captam Athenis gestae sunt anno 404|3, Aristoteli fides major habenda esse videtur quam Xenophonti aequali.

XVI.

Scepsis recentiorum philosophorum (Hume et Bayle dico) hac re imprimis differt a scepsi antiqua quod illa magis statutis et placitis tum philosophiae cum Ecclesiae, haec vero fidei ipsi intellectui habendae impugnat.

XVII.

Quod antiqui categoriam causae non, ita ut Hume et recentiores, qui eum secuti sunt, investigaverunt, factum est quia non ante oculos habebant theologiam, quae certam totius mundi causam asseveraret.

Adnotationes

ad

L. Apuleii Metamorphoseon Librum XI.

H. J. BOEKEN.

APUD J. CLAUSEN, AMSTELAEDAMI.